DE PRINCIPE, DE MAIESTATE, AC PRIVILEGIIS EIVS: PROINDE ET DE Lege Regia: Commentatio Iuridico-Politica, & Historico Iuridica: Capitibus duobus distincta;

IN QVORVM PRIMO DISSERITUR an populus Romanus per Legem Regiam omni sua potestate ac maiestate seipsum priuarit: In secundo an Reges sint supra Leges: adeoque an Princeps Lege Regia vel alia quacunque, legibus solutus & quibus.

QVIBVS ACCESSERVNT NONNVLLÆ de eadem materia Diatribæ: item Synopsis quædam de Rep. seu Imperio, tum in genere tum in specie de Imperio Romano, eiusq; præcipuis periodis & mutationibus.

Ad eminentissimum ac praecellentissimum huius aui I.C. D. Dionysium Antecessorem lectissimum, fautorem & amicum.

AVTORE

Ioan. Calu. I. D. Academiæ Heidelberg. Profess.

FRANCOFVRTI,

Typis Sigismundi Latomi, impensis Ioan. Theobaldi Schönvvetteri.

M, D, C.

CLARISSIMO AC PRAESTANTISSIMO viro, Dn. Dionysio Gothofredo, Iurisconsulto lectissimo ac celeberrimo, fautori & amico, S. P.



T nobilis & antiqua: Clarissime ac celeberrime Dn. Gothofrede: sic ardua, vel satis certe vexata, vt tute rectius nosti, quæstio est de Lege Regia; Vtrum scilicet populus Romanus per eam omni sua potestate, Imperio, ac Maiestate se ipsum priuarit: deinde & imprimis, vtrum Princeps per eandem, vel quam aliam, legem legibus solutus fuerit, & quibus, & quatenus. Vtramque iuridice nonnulli; alij politice ac philosophice; quidam vel hoc, vel isto modo, simul tamen & historice, pertractarunt. Mihi singuli quidem isti, sed simul iuncti tamen potius probantur modi: quippe vt sic tanto commodius & quæstio ab hypothesi ad thesin traducatur, & res ipsa è principiis sui cuiusque generis enucleatius percipiatur.

Ad quam disquisitionem nonnihil studij, vt vides, cōtuli: ac simul interim aliud quasi agēs præcipuas quasdam de proposita materia leges inter se collatas explicui: tuam, in posterioris præsertim quæstionis enodatione, sententiam secutus. Neque enim illa seu Maiestatis, seu Principis, per legibus solutam concepta potestatem definitio sat Logica videtur. Atque vt cætera mittam; sane qui se legibus subiecit (quippe legis conscientiæ, & rationis naturalis, impulsu, ac necessario veri pudoris, & honestatis, quin & vtilitatis publicæ, tuendæ intuitu) is potestatem legibus solutam non obtinet; is, inquam, legibus solutus non est. At Maiestas seu Imperator legib. se subiecit, l. digna vox. C. de ll. cum similib. Et hoc merito quidem, ipsomet Imperatore teste, cū nihil tam propriū Imperij sit, quam legib. viuere, l. 3. C. de testam. Ergo potestatem legibus solutam non obtinet, &c. Deinde lex Imperij non legibus ipsis, sed solennibus legum, Imperatorem soluisse dicitur d. l. 3. Et hinc nimirum actus ab ipso Principe, vel coram Principe celebratus solennitates iuris non admodum desiderat; imo præsentia illius supplet omniū solen-

solennitatum defectus, l. omnium, & ibi Dd. C. de testam. Corras. 2. misc. vlt.

Atqui nonne obstat l. Princeps, de legib. vt plerisq; videtur. Haud equidem ἀτόπως, inquã, Cuiacius, antiquitatis solertissimus indagator, ex epigraphe d. legis Princeps, solutionem obiectionis istius depromit: nimirum Principem d. lege caducariis tantum legibus solutum reputans, cæteris nõ item. At Iustinianus, aiunt, ab omnibus Imperio Romano subiectis ciuibus iam dudum remouit leges caducarias per l. vnic. C. de cad. toll. quod vero cunctis indultum est, id Principi priuilegij loco soli tributum asserere, ἄτοπον. Remouit, aio, idque nec ignorat, neque negat Cuiacius; sed longissimo post latam istam legem Princeps, interuallo remouit; ac tandem commune fecit, quod antea Principi peculiare fuerat. Ergo legem Princeps, in Digestis posuisse non decuit, ais. Imo vero nec ipse Iustinianus, sed Tribonianus, vel Dorotheus, &c. posuit. 2. Veruntamen ipse posuerit: quid tum? nonne & sexcẽtas pene alias in Digestis posuit, quas in Institutis & Codice; quin & crebras in Codice, quas iterum iterumve in Nouellis retractauit. Certe si

hodierna hæc tempora & iura nostra spectemus (quæ & spectare debemus: quid enim ad nos iã olim penitus abolitæ sanctiones?) Princeps seu Imperator Romanus legibus sese vsq; adeo submisit, vt sine assensu Statuum Imperij, leges nec condere, nec conditas abolere sustineat: quandoquidem Statibus, seu Ordinibus Imperij vniuersis in vnum collectis, iuxta Auream Bullam & sanctionem Imperij se submittere dignatur. Sed quid ego hæc ad te? præcellentissime Dn. Gothofrede: nimirum vt intelligas, quanti faciam, vel potius quantopere colam, egregias illas, quibus altissimus affatim te instruxit, dotes ac virtutes, insignem eruditionem, literatissimam pietatem, eximiam humilitatem & humanitatem, singularem erga piarum musarum cultores, bonosq; ac literatos viros, tum iuuandos, tum exornandos, amorem ac promptitudinem: deinde quoque, vt intelligas, quanti non minus quã alij & ipse faciam accuratas illas tuas, & omnibus legitimum studium sectantibus vtilissimas in totum Iuris Ciuilis Corpus notas: deniq; vt & his ipsis de causis meo loco aliquatenus erga te gratum me declarem: cum præsertim

tuam potissimum in proposita, Num princeps legibus solutus sit, quæstione sententiam secutus sim. Mitto igitur ad te Clarissime Dn. Gothofrede, leuidense hoc munusculum literarium, Amplissimo Nomini tuo dicatum; meæ erga te obseruantiæ testimonium; atq; istud æqui boniq; vt consulas, ac me studiaque mea tibi commendata habeas, enixe oro. Iehoua sacrosancto Spiritus sui præsidio te tuosque tueatur. Heidelbergæ è Museo meo.

Excell. T.

omni studio

Deditiss.

Iohan. Calvinus W.
Academ. Heidel:
Profess.

ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.



Respublica recte constituta (nempe inter Christianos) ea demum sola est, quæ ad Dei gloriam, & communem populi salutem, iuxta rationis rectæ prudentiam, & vniuersalem iustitiam, legi conscientiç à Deo ipso cordibus hominum insculptæ, ac in Decalogo renouatæ, conformatam, à bono Principe constituta est.

Iustitia vniuersalis, est habitus voluntatis: At iustitia legis conscientiç non est habitus voluntatis; sed efficax facultas conscientiæ, iusta agnoscentis ac præcipientis: à qua habitus iste, prudentia comite, pendet ac regitur.

Princeps generatim acceptus, est penes quem solum in Republica, summa rerum potestas est; quam Maiestatem nuncupamus. *Dn. Vult. in comment. Instit. ad §. sed & quod. 7. num. 1. de iure nat. gent. & r. Iurisp. R. 12. nu. 20. 23.*

Maiestas enim Deo, deinde principibus, imperatoribus, ac regibus competit, *Donell. 19. comment. Iur. ciuil. cap. 8. §. 2. in princip. Vult. in d. commentar. ad §. publica autem, 3. num. 4. 6. 7. de publ. iud.*

Maiestas Principi competens, est suprema & perpetua in quauis Republica potestas, nullis vllius alterius Reipublicæ propriis legibus aut imperiis subiecta.

Princeps autẽ & Maiestas sæpius pro eodem sunt, nempe modo pro suprema supremi in Republ. regiminis potestate: modo pro persona potestate tali prædita; præsertim in Monarchia; quadantenus etiam in Aristocratia & Democratia, vbi Princeps numero multiplex, sed τῷ λόγῳ seu ratione non nisi vnus ac simplex. *Dn. Vult. d. c. 12. num. final.*

Atq; hic Princeps generatim acceptus est: quippe

ſeu bonus ac verus, ſeu malus. Sed in politicis princeps ſeu Monarcha tyranno opponitur: ideoq; non niſi verus, bonus, ac pius intelligitur.

Princeps verus ac bonus (Reipub. rectè conſtitutæ analogicè correſpondens) eſt qui ad Dei gloriam, & communem populi ſalutem, iuxta rationis rectæ prudentiam, & vniuerſalem iuſtitiam, legi conſcientiæ conſentaneam, Rempub. moderatur, ac maieſtate ſua defungitur.

Proinde Maieſtas veri ac boni principis, eſt ſuprema eius ac perpetua, nullisq; vllius alterius Reipub. propriis legibus aut imperiis ſubiecta poteſtas, qua is omnia prudenter ac iuſte, i. e. ſecundum rationem rectam, iuſtitiam, & legē conſcientiæ, in Repub. regit ac moderatur. In vero pioque Principe Dei gloriam, & communem populi ſalutem, omnino præſuppono inter Chriſtianos. His præmiſſis ad rem ipſam accedamus.

Princeps legibus ſolutus eſt: & quod Principi placuit, legis vigorem habet: nempe per l. Regiam, qua Populus Romanus omne ſuum ius, omneq; imperium ac poteſtatem Principi & in principem contulit: *ait Vlpianus in l. Princeps. 31. de legib. & in l. 1. in princ. de conſtit. princ. atq; ex Vlpiano Tribonianus in §. ſed & quod principi. 6. in prin. inſtit. de iur. nat. gent. & in l. 1. §. 7. C. de veter. iur. enucl. item in conſtit. de conceptio. Digeſtor. §. 7. adde l. 3. C. de teſtamentis, l. 14. fin. de manumiſſio. l. vnic. circ. fin. C. de caduc. toll. l. 23. de legat. 3.*

Verumenimvero dubitatur in hac quæſtione, ac certe non ſine ratione, 1. de facto, 2. de iure & æquitate facti, ac ipſius legis Regiæ. De facto quidem: An & quando, à quibus, quo modo, quo ſenſu, fine, & effectu, Lex illa Regia ſit lata, item promulgata, itemque vſu recepta & conſtabilita. De iure autem & æquitate facti, h. e. ipſius legis Regiæ: An, ſi lata,

promulgata, vsuque firmata fuerit, prudenter etiam iusteq; & recte lata, promulgata, vsuque firmata; & ita populus Rom. omni sua potestate ac Maiestate omnino priuatus, Princeps autem solus ea ornatus, ac reuera, simpliciter, & indistincte legibus solutus fuerit; & quibus, quando, quomodo, & quatenus: adeoque in thesi, An in laudata veraq; h.e. prudenter ac recte constituta Repub. princeps legibus (præsertim scriptis ac ciuilib.) solutus. Quin etiam, An aliqua sit vllius Principis seu Maiestatis mere absoluta, legibusque soluta potestas, in Repub. prudenter & accurate pieque constituta. De quibus singulis deinceps suo loco.

CAP. I.

An populus Romanus omne suum ius, Imperium ac potestatem, adeoq; & Maiestatem, Lege Regia in Principem contulerit, & ita præsertim, vt singulis istis semetipsum priuârit.

IN Iurisprudentia Romana Leges Regiæ duplicis apparent generis: primi quidem illæ, quæ in Regio Politiæ Romanæ Statu latæ, in populari seu Democratico (statu) rursus abrogatæ fuerunt. Secundi vero illa, quæ sola κατ᾽ ἐξοχὴν LEX REGIA in Iure nuncupatur: qua populus Romanus omne suum ius, imperium ac potestatem, adeoque supremam Imperii Maiestatem totam, principi & in Principem contulisse, ipsumque legibus soluisse, secundum paulò ante prolatas leges, perhibetur: rectene an secus, infra patebit.

Lex Regia κατ' ἐξοχὴν dicta, alio nomine lex Imperii (vt plerisque placet) ab Alexandro *in l. 3. C. de testam.* appellatur, eo quod de summo Augusti aut Vespasiani Imperio (vt vulgo creditur) lata fuerit: item LEX AVGVSTI à paulo Iurisconsulto *in fin. l. 14. de manumissio*: eo quod sub Augusto Imperatore vel lata, vel renouata: & AVGVSTVM PRIVILEGIVM, Cuiac. *Recitat. ad l. 5. col. 10. de iust. & iu. & in Recit. ad t. C. de testam. col. 18.* vbi Lex Imperii (ait) est ea, quæ primum Augusto detulit Imperium, eumque legib. soluit, teste Dione *libr. 53.* vnde & Augustum priuilegium dicitur *l. vni. §. antepen. C. de caducis toll.* hæc ille (quanquam Augustum istud Principis priuilegium *in d. l. vnic.* speciale magis videtur de solis caducariis legibus, de quibus & solis Vlpianus, Cuiatio teste, egit, cum principem legibus solutum pronunciaret, de quo est *l. princeps. de legib.*

Dissent. præstantissimus Vult. *in comment. Instit. ad §. sed & quod principi. 7. nu. 5. de iur. natural. gent.* qui in modo d. Alexandri rescripto legem Imperii, item in d. l. 14. legem Augusti, non interpretatur legem Regiam in specie seu κατ' ἐξοχὴν dictam, vt alii, quæ de Imperio principis peculiariter lata sit: Sed potius legem regiam in genere, h. e. ius regium, ius Imperii seu principatus, quo ipsum Imperium constitutum est: ius quod imperium regium principi tribuit eo ipso quod princeps est, qui scil. nulla re distat à Rege, nisi nomine (regis enim nomen tandem perinuisum Romæ erat) vt ita lex Augusti, ac lex Imperii seu principis sit, non quæ peculiariter ac specialiter de Imperio principis lata fuerit, sed quæ Augusto, h. e. Imperatori, absolutum arbitrium ac voluntatem concedat ex generali Imperatoris aut regis natura & forma, h. e. eo ipso qꝫ rex, vel princeps, vel Imperator est, supremo quippe imperio ac potestate præditus

præditus,nullique, nisi DEO, ſubiectus: quod Imperium, inquam, & quam poteſtatem ſupremam princeps ex eo iure habet,quo princeps eſt, h.e.ex iure gentium,quod primitus communi omnium gẽtium conſenſu de perſona, poteſtate, & officio principis aut Regis conſtitutum fuit.confer D.Vlt.*d.n.5. & 1.Iuriſp.R.12.num. 40.* à quo plerique omnes diſſentiunt.

Ac vel hinc liquet,eſſe diſcrepantes Doctorum de hac quæſtione ſententias. Nonnulli enim ex eruditioribus Legem illam Regiam, quæ Cæſarum præſertim tempore lata, vel renouata dicitur, non diſſimilem donationis Conſtantini Magni, quam is Sylveſtro Pontifici feciſſe perhibetur, exiſtimant: hoc eſt, negant vllam vnquam Legem Regiam de principis Imperio peculiariter latam fuiſſe,ſed conſtituto tandem apud Romanos Imperatoris ſeuPrincipis Imperio,ex conſequenti Legem Regiam, hoc eſt,ius principi, tanquam Regi, Imperium Regium tribuens, affirmant in Principem per ſe collatum cenſeri debere ac debuiſſe: hoc ipſum v. ius regium initio communi plerarumque omnium gentium conſenſu introductum & vſurpatum, adeoque & in libro populi Dei (*vid.1.Samuel.10.v.25.*)deſcriptũ fuiſſe:vt ita Romani illud ius, ſeu iſtam iuris regii legem,vel ab aliis gentibus; vel à populo DEI, mutuatam ac repetitam acceperint, eamque non latam (vel certe non promulgatam) ſed ad exemplum populi DEI, aut aliarum gentium vſurpatam: cui equidem coniecturæ,incertitudo temporis ſuffragari videatur: cum hactenus ex hiſtoriis certo ſtatui non potuerit, quo tempore lex iſta Regia ſolenniter ac nominatim à Romanis lata fuerit. *Dn.Vlt.d.num.5. ac 6.2.* Alii v. mox ab initio vrbis conditæ à Romulo. vel à ſucceſſoribus eius, Legem iſtam latam: ſed poſtea expulſis Regibus vna cum aliis legibus regiis abro-

abrogatam, tandem autem sub Cæsaribus eam reuocatam existimant. 3. idque rursus secundum nonnullos tempore Augusti, 4. secundum alios tempore Vespasiani, 5. secundum cæteros, tempore Augusti non reuocatam, sed primò latam, sub Vespasiano autem reuocatam. 6. Et hîc rursus alii à populo, alii ab ipsis Imperatoribus latam aut reuocatã: eo quod populus nullam legem regiam de principis Imperio ferre potuerit. 7. Alii denique legem Regiam eam fuisse autumant, quæ ad Iulij Cæsaris Dictaturam pertinuerat, qua is, populo volente, à Senatu legib. extra ordinem solutus fuit, h. e. imperium illi summum extra ordinem datum, eatenus ac propterea, vt videl. Remp. labascentem constitueret: qua deinde lege, quoque imperio sequentes etiam principes vti voluerunt.

Quam sententiam Dn. Bernh. Copius, Philosophus, historicus, ac Iurisconsultus præstantissimus tuebatur. In tanta opinionum varietate quid certi firmiter statuere possis, haud facile inuenias.

Si Vlpiano *in l. 1. in princ. de constitutio. prin.* ac Triboniano *in §. sed & quod princip. 6. in princ. Instit. de iur. natural. gent. & in l. 1. §. 7. C. de veter. iur. enucl. item in constit. de conceptio. Digestor. §. 7.* fidem habeamus, lex Regia. 1. de Principis Imperio lata fuit 2. idq; sub Cæsaribus, quia de principis, hoc est, Cæsaris seu imperatoris, imperio lata: 3. & à populo quidem Romano, non ab Imperatoribus ipsis, lata, 4. quandoquidem populus Romanus per legem Regiam omne suum ius, omneque Imperium ac potestatem principi & in principem contulit, secundum modo dd. leges. Sed de his singulis nunc paulatim plenius dispiciamus.

Lex Regia (si originem omnino primam spectes) non Octauii Augusti tempore primo, sed mox ab initio vrbis Romæ sub Regibus lata, verum postea expulsis

expulſis Regibus, vna cum aliis legibus Regiis abrogata, *l. 2. §. 2. 3. de orig. iur.* tandem vero ſub Auguſto, cæteriſque Imperatoribus (Veſpaſiano præcipue) rurſum poſtliminio quaſi reuocata (id eſt per vim ac fraudes extorta) idque ſub alio quàm Regiæ legis nomine vel prætextu; nec tamen ab illis omnibus, & in omnibus, ſed à ferocioribus principibus magis vſurpata: Non Auguſti, inquam, tempore primo; ſed mox ab initio vrbis Romæ ſub Regibus lata) vt diſerte oſtendunt verba Iuſtiniani *d. l. 1. §. 7. C. de veter. iur. enuc. & d. conſtit. de concept. Digeſtor. §. 7.* Vtrobique enim dicitur, Antiqua lege, quæ Regia (non nuncupatur, ſed) nuncupabatur, ſcilicet antiquitus omne ius, omniſque poteſtas populi Romani in Imperatoriam translata ſunt poteſtatem. Lex Regia, lex antiqua, vna cum ipſa vrbe nata, ait *lib. Hiſtor. 34.* Liuius: quia Romæ, vt, & in omnibus aliis gentibus antiquis, primum præfuit Regalis poteſtas. Origo quippe Regni antiquior eſt, quàm vel Dominationis vniuerſi populi, vel Dominationis optimatum, *Cuiac. in Recitat. ſolennibus ad l. 3. colum. 9. de iuſt. & iur.* Deinde idem quoque oſtendit ipſa vox, REGIA LEX: Hiſtoriæ namque fide digniores aſſeuerant nomen Regis & Regiæ legis ac poteſtatis, Populo Romano poſt Reges exactos perinuiſum ſemper fuiſſe, adeò quidem, vt nullus vnquàm deinceps Magiſtratus Romanus, niſi extremo vitæ periculo, Regiam iſtam Legem rogare, Regiamve poteſtatem affectare, auſus fuerit; vt ex Liuio, Cicerone, & aliis, paſſim apparet. Vnde & Iulius Cæſar, cum poteſtatem Regiam affectare ex coniecturis tantum nonnullis deprehenderetur, pleriſque omnibus Romæ propterea inuiſus fuit redditus, ac multis tandem vulneribus confectus ac trucidatus. Itaque Iulij Cæſaris & Auguſti tempore nomen Regis ac Regiæ Legis & poteſtatis

ſtatis comprimis vehementer exoſum fuiſſe conſtat.

Vt ita minime omnium veriſimile ſit, populum Romanum iſto tempore vllam talem Legem Regiam vltro ac ſponte, manifeſte, ſolenniter ac diſerte (vt fieri equidem oportuit, ſi lex iſta tam ſerio quondam abrogata, & poſtea ſemper execrabilis habita, vim vllam habere debuit) vel tuliſſe, vel renouaſſe; atque ita ſeſe omni Imperio, iure, ac poteſtate (quippe his omnibus ac ſingulis in Imperatorem penitus collatis) tam imprudenter diſpoliaſſe. Imo vero non tam Populus Romanus iſtis temporibus Principem ſeu Imperatorem eligebat, eiq; imperium tradebat, quam perpetuis bellis (vt hiſtoriæ ſatis teſtatum faciunt) debilitatus & fractus, variiſq; technis ac fraudibus circumuentus, pati equidem inuitus cogebatur, vt modo Senatus, modo exercitus militaris, modo plebs tumultuans, Imperatorem eligeret, eique imperium traderet. Ita Veſpaſianum (cui tamen ſupremum legibusque ſolutum Imperium illa ipſa lege Regia primum omnium conceſſum à multis perhibetur) ab exercitu Mœſiaco electum, ex Suetonij Veſpaſiano c. 6. conſtat: Alexandrum autem Seuerum (cui Vlpianus, legem Regiam imprimis crepans, à conſiliis fuit) non à populo, ſed à ſenatu electum, ac populo pro Imperatore perſuaſum, ex Lampridio ſatis liquet. 4. Quin etiam Imperatores ipſimet iſtis temporibus (velut de Auguſto notum) aut ſucceſſione, aut neſcio quo alio colore imperium inuadebant: quod poſtea non populus Romanus, ſed vel Senatus, vel exercitus, vel quidam in plebe tumultuantes, quaſi confirmarunt (tantum abeſt, vt populus Romanus vltro ac ſponte, ſolenniter ac diſerte, Legem Regiam ſanciuerit, ſibique ſuum ius, imperium ac maieſtatem, à conciuibus ſuis adimi, æquo animo tulerit.)

Atq; ita nimirum populare imperium cum Cæsareo & tanquam Regali quodam misceri cœpit, sicut ex Suetonio, Spartiano, Lampridio, aliisque historicis, qui de Vitis Cæsarum scripserunt, perspicue apparet.

Quare lex ista, quam Vlpianus ac Tribonianus sub Cæsaribus latam perhibent, ac Regiam appellitant (quod Historiæ pleræque omnes penitus ignorare videntur) à populo Romano (si tamen is eam tulit) citra controuersiam non Lex Regia, sed Lex Imperii, lex Augusti, vel quo alio nomine appellata fuit; (Regia tamen ab aliis dicta, quia priscam legem Regiam imitata, vel ex eadem transscripta.) Nam vna cum Regibus exactis, nomina quoque tum Regum ipsorum, tum legum Regiarum, Romanis vehementer exosa, ideoque semel ac perpetuo non sine magna execratione è Republica profligata fuerunt; vt ex Liuio, Suetonio, Cicerone, & aliis passim apparet. Vnde & Monarchæ Romani neutiquam Reges, sed principes, Cæsares, Augusti, Imperatores, dici voluerunt. Vnde Suetonius crimina Caligulæ notans: *parum abfuit*, ait, *quin principatus speciem* (formam) *in Regum conuerteret, capitique diadema circumponeret.*

De tempore, quo sub Cæsaribus Regia illa priscorum Regum lex reuocata fuerit, si quæratur; Octauius Augustus Iulii Cæsaris, patris adoptiui, Monarchiam seu Dictaturā (id est, Tyrannidem) perpetuā affectans, legem Regiam (vt plerique arbitrantur) primus ex Imperatoribus callide à Senatu extorsit, primus in vsum reuocauit, primus vsurpare cœpit; idque anno Imperii sui à victo Antonio collega, septimo vel octauo, vt nonnulli ex Dionis Cassij *libro 51. & 53.* exinde colligunt, quod is (Augustus) eo anno legibus solutus fuisse perhibetur. Atq; ita sub Octauio Augusto lex ista primum reuocata: sed tandem

dem post multa temporum interualla sub Vespasiano Imperatore denuo repetita & renouata fuit: id quod ex vetusto quodam eius rei monumento (cuius verba æneæ tabulæ incisa) quod hodierno adhuc die Romæ in Capitolio perspicitur, plerique probant: de quo & Baro *ad l. Princeps. de ll.* obiter aliquid attingit. Sed hactenus An, & quando, & à quibus Lex Regia dicatur lata & renouata. Nunc porro an legitimo fine ac modo rituque decente, lata, impetrata & acceptata: itē quo sensu lata; eone, vt Populus Romanus ea lege, à semetipso omni iure, Imperio, potestate ac Maiestate sua priuatus: Princeps vero solus iis vniuersis & singulis ornatus, ac legibus omnimodo solutus esset? imo & in thesi, an verus princeps vlla quacunque lege, vlloue modo simpliciter, absolute & indistincte legibus solui possit.

Quæ singula vt enucleatius percipiantur, res tota paulo altius ex historiis repetunda fuerit; è quibus satis patebit, quod Augusti ac cæterorum Principum in ista lege ferenda vel acceptanda, causa finalis & impulsiua fuerit, non publica populi ac Reipublic. prosperitas, sed priuata fœlicitas & authoritas, omnique lege soluta dominandi libido ac voluptas.

Proinde tametsi Vlpianus & ex eo Tribonianus supra dictis locis principem aiunt legibus solutum per LEGEM REGIAM, qua populus Romanus omne suum Ius, omneque Imperium ac Maiestatem principi & in principem contulerit; historiæ tamen fide digniores istam legis Regiæ lationem vel penitus ignorant, vel non aperte ac solenniter vniuersoque populo rite congregato & interrogato, vnanimiter consentiente (vt omnino oportuit) factam indicant. Tacitus sane *Annalium suorum initio, & alibi*, Dion *lib. 53.* Suetonius *in Augusto cap. 8.*

 9.10.

*p.10.11.12.ac præsertim 26.in princ.28. in princ. 47.in princ.*idem Suetonius *in Tiberio passim, ac præsertim ca.30.*aliiq; non pauci historici, si quis recte attendat, rem paulo secus de ista Imperii ac Maiestatis in principem translatione legumque solutione videntur enarrare:nempe populum Romanum non ipsum met vltro ac sponte, multo minus vnanimiter, aperte ac solenniter, tantam Imperatoribus concessisse potestatem:sed hanc eos ad se partim donis & largitionibus, partim dolis & fraudibus, simulationibus ac dissimulationibus assiduis, partim vi & armis, variisque blandimentis, technis ac persuasionibus, callide ac versute ad se transtulisse: ac sensim non populi solum, sed & consulis, & censoris, & pontificis maximi, & Tribuni, & prætoris dignitatem, ac Iuris dicendi functionem, omniumque tandem Magistratuum munera sibi assumpsisse. At certe si lex totius populi rite ac solenniter congregati, & interrogati, vnanimiter consentientis, conuentio quædam & pactio erat, sicut omnino erat:ac proinde in iis, quæ vi & coacto per dolos ac technas, simulationes ac dissimulationes versutas exprimuntur, consensus omnino nullus est: Regia illa lex vera vtique & sancta lex neutiquam fuerit: cum populus Romanus reuera, non tam per illam concesserit vnanimi consensu & conuentione potentiam suam Principi, quam hac sese sub excogitato istius Regiæ legis prætextu callide spoliari magno suo dolore passus sit:aut certe si ipsemet concessit, non omnimodam equidem indefinite & indistincte concesserit; præsertim cum paulo ante Iulium Cæsarem insolitam in Republica, & quasi Regiam seu Imperatoriam potestatem paulatim affectantem tot vulneribus misere confecerit & mactarit: vide *Connan.1.com.ment.16.& historiam illius seculi, adde l.1. ff. ad l. Iul. Maiest.* vbi Maiestas non principi, sed populo Romano tribuitur,

tur, ideoque Maiestatis crimen aduersus populum Romanum committi dicitur; & hostes populi Romani, non Imperatoris nominantur: idque ab ipso Vlpiano, legem Regiam alias crepante.

Sed de Octauio Augusto; quoniam sub eo primum omnium populus Romanus legem Regiam tulisse, & in eum, legibus omnino solutum, omnem suam potestatem ac Maiestatem, non tantum communicatiue, sed & priuatiue, transtulisse perhibetur; præcipue ac seorsim dispiciamus. Is ergo Iulium Cæsarem, adoptiuum patrem, Regiam seu Imperatoriam in Republic. potęstatem & imperium affectantem æmulari, mortem eius, ea ipsa de causa trucidati, serio vlcisci, ac tęstamentum eius exequi, quantumuis admodum adolescens, percupide studebat. Iulius enim Cæsar, cum liberis careret, (Octauium ex sorore sua Iulia nepotem, adoptauerat, eumque in testamento nominis, fortunarum, & imperii sui, heredem instituerat. Vnde & Octauius ea re intellecta, confestim nomen Cęsaris assumpsit, hereditatem adiit, & imperium affectauit. Quod vt obtineret, omnes suos & Iulii Cęsaris inimicos, imo omnes, qui conatibus ipsius obsistere possent, terra marique (vt historiæ passim testantur) afflixit, atque è medio sustulit: adeo quidem, vt nec Senatoribus, nec consulibus Romanis, imo nec suis in consulatu collegis, M. Antonio, & M. Lepido, pepercerit, sed vtrumque non minus quam Sextum Pompeium, & alios, crudeliter oppresserit. Hinc Suetonius in Augusto c. 10. 11. & alibi. *In bello Mutinensi Augustus, prætor exercitus præfectus, duos consules Romanos, Hircium ac Pansam (vt magna, eaque verisimilis, suspicio erat) de medio sustulit, illum quidem ipsemet in tumultu pugnæ, hunc vero per medicum, qui venenum vulneri accepto iniecerat; vt ita imperio potiretur Augustus.*

Idem Suetonius ibid.c.26.& alibi: *Consulatum vigesimo ætatis anno inuasit, admotis hostiliter ad vrbem legionibus, missisque nonnullis, qui ipsi (Augusto) consulatum nomine exercitus deposcerent. Ex missis erat Cornelius Centurio, princeps legionis, qui cunctante Senatu, retecto cum indignatione Sagulo, ostendens gladij capulum non dubitauit in curia dicere: Hic faciet, si vos non feceritis.* Idem c.34.& alibi: *Leges quasdam retractauit, ac senatum reformauit, sed nihil horum absq; tumultu, & sine contradicentibus, nempe vi potius ac dolo, quam vnanimi & spontaneo Senatus ac populi Romani assensu*, hoc est, coacto, dolis ac minis elicito, & donis ac pollicitationib. emendicato assensit. Idem Suetonius c 35.& alibi: *vt facilius obtineret* (Augustus) *in Senatu, quod vellet, Senatores quosdam arbitratu suo exautorauit: reliquos retinuit: & cum de grauiore negocio consultandum esset, sententias non ordine ac pristino more, sed prout libuisset, interrogauit.* Et c.26.27.37 & alibi: *Augustus hostib. suis, deletis, ac potentissimis quibusq; ciuibus oppressis, proscriptis, in militia desideratis, vt nemo iam esset, qui obsisteret, plerosq; è Senatu & populo largitionib. ac blanditijs varijs corrupit, & paulatim insurgere cœpit, omniaq; senatus, legum, & magistratuum munia, honores & dignitates callide ad se pertraxit: adeoq; omnes tandem magistratus vel ipse tenuit, vel alias sibi subegit, nouosq; sibi morigeros excogitauit, vt ita tandem solus supremi magistratus, hoc est, maiestatis iure dominari posset.* Et d c.27. fin *Tribunitiam potestatē perpetuam sibi sumpsit: imo & morum ac legum regimen itidem perpetuum: quin & ius Censoris, cū censoris tamen munus haud suscepisset. Vnde & leges quasdam retractauit, quasdā ex integro sanxit, tumultuantib. tamen aliquando & recusantibus plerisq;: quin & senatum reformauit, ac senatores ipsi minus gratos, è Senatu inuitos remouit, d.c.34.35. & alibi.* Item c.47. *prouinciae potentio-*

potentiores quasi difficilius gubernari possent, ipse solus regē'as suscepit: i· firmiores, quosi scil. pacatiores & obsequentiores essent, Senatui attribuit, ac proconsulibus sortito permisit, interim tamē ipse quoq; sapius eas adijt, sibiq; conciliauit: Et ita sub hac specie ac prætextu Senatū populumq; Roman. prorsus inermem, imbellem, & imbecillem reddidit, militesq;, arma, & armamentaria, quin & ærarium publicum, ad se solum transtulit, atq; adeo cōsequenter supremum ēt, quantū in ipso fuit, Respub. totius imperium sibi arrogauit: Quod postea, quantūuis serio monitus, populo Romano restituere noluit. Cum tamē sæpius sibi obijci inuitus audiret, quod Imperium à populo Roman. dolose ac violenter auenatum & ablatum contra leges detineret, ac non restitueret (Vide Dion, & alios, itemq; Sueton. c. 78.) bus de restituenda Repub. callide deliberauit, ac tandem publice in Senatu oratione ea de re habita se Imperium, quod hactenus tenuisset, depositurum, ac populo Romano redditurum, fraudulenter simulauit: sed interim corruptis Senatorib. plerisq;, & oratione calli da disertaq; fascinatis, nonnullis qu. q; iram & Tyrannide eius metuentibus, rem ibi statim eo perduxit, vt senatores imperium ei relinquerent ac prorogarent: Senatores, inquā, ab eo corrupti ac decepti, non totus populus. Vt tamen Regiæ potestatis, ac Monarchiæ suspicionem longius à se remoueret, negabat se omnes prouincias regendas suscepturū, aut quas suscepisset, perpetuo retenturum. Itaq; non omnes equidem, veruntamen potentissimas quasq; vt paulo antedictum, sibi eligebat (reliquas interim sibi quoque magis quam Senatui concilians hab. bat) & imperium in eas decennale duntaxat suscipiebat, postea binis rursum vicibus, distinctis quidem, sed contin uis, quinquēnale, ac tandem similiter binis iterū distinctis vicibus decennale: vt ita nomine quidem non esset vel Rex vel dictator perpetuus (quod omnes in Iulio Cæsare prorsus detestatos fuisse nouerat) & tamen supremum Im-

perium ac Dictaturam primo cum Collegis M. Antonio, Marcoq; Lepido aliquandiu, deinde cũ Antonio per 12. fere annos, ac tãdem post Antoniũ vna cũ sua Cleopatra ab ipso apud Actium nauali prælio deuictum, per annos 44. solus (quantum in ipso fuit) obtineret, Suetonio in vita eius c.8. teste. Vnde & sequentes Imperatores, licet ꝑpetuũ nacti Imperiũ, singuli tamẽ decennia festũ ꝓ Imperij renouatione ac ꝓrogatione celebrarũt.

Atq; hinc satis (opinor) liquet, an Augustus Cæsar senatu populoq; Romano sponte & vnanimiter (sicvt fieri oportuit) consentiente ac decernente tantam potestatẽ cõsecutus fuerit, an vero donis & dolis, vi & armis, minis ac ꝓmissis, simulationib. ac dissimulationibus versutis? Cõsulatum primũ vi & armis extorsit: tribunitiã potestatem perpetuã, itemq; legum ac morũ regimen perpetuum, vt & ius censoris, ipsemet sibi sumpsit: cum leges pristinas retractaret, nouasq; sanciret, tumult⁹ exort⁹, varios insuper alios diuersorũ tẽporum tumultus variasq; cõtra se cõiurationes, crebro sustinuit, & callide cõpressit, *Suet. c. 19.* libellos contra se famosos & in ipsa curia spargi, & ad statuã suã affigi, ꝑcauere non potuit, *Sueto. c. 55. & 71.*

Sed de his aliis Marcum quoq; Ciceronẽ, eumq; ad ipsum Octauium Augustum magno cum gemitu ac dolore scribentẽ, audiamus. *Si ꝓ tuis legiones* (ait Cicero ad Augustũ) *mihi licitũ fuisset, quæ nomini meo, populoq; Romano sunt inimicissima, venire in senatum, coramq; de Repub. disputare: fecissem; neq; tã libenter q̃ necessario &c. Sed quoniam cohortib. armatis circũseptus senat⁹, nihil aliud vere potest decernere, nisi timere; in Capitolio signa sunt, in vrbe milites vagantur, in campo castra ponũtur; & Italia tota legionib. ad libertatẽ nostrã cõscriptis, ad seruitutem adductis, equitatuq; exterarũ nationũ detinetur; cedam tibi in præsentia foro, curia & sanctissimis deorũ immortalium templis, in quib. reuiuiscente iam libertate, deinde rursus oppresso, senatus nihil consulitur, timet multa, assenti-*

*tur omnia:post ẽt paulo tẽporib. ita postulãtibus, cedam
vrbẽ, q̃ ꝑ me conseruatã, vt esset libera, in seruitute vi-
dere non potero; cedã vita; quæ quanquã solicita est, ta-
men, si profutura est Reip. bona spes posteritatis me cõ-
solatur, qua sublata non dubitanter occidã, atq; ita ce-
dam, vt fortuna, iudicio meo, non animus mihi defuis-
se videatur &c. Nã per Deum immortaliũ fidem, perq;
fortunã populi Romani, quis tã expers humanitatis, qui
huius vrbis nomini ac sedib. vsq; adeo est inimicus, vt i-
sta aut dissimulare possit, aut nõ dolere? aut si nulla ra-
tione publicis incõmodis mederi queat: non morte pro-
priũ periculũ vitet? nã vt ordiar ab initio, & ꝑducam
ad extremũ, & nouissima conferã primis; quæ non po-
sterior dies acerbior priore, & q̃ non insequens hora an-
tecedente calamitosior populo Rom. illuxit? M. Anton.
vir animi maximi (vtinam ẽt sapientis consilij fuisset)
(Cæsare fortissimo, sed parũ feliciter à reipub. domina-
tione semoto, cõcupierat magis regiũ, quã libera ciuitas
pati poterat, principatũ, publicã dilapidabat pecuniã,
ærariũ exhauriebat, minuebat vectigalia, donabat ci-
uitates ex cõmentario, Dictaturã gerebat, leges impo-
nebat, ꝓhibebat Dictatorẽ creari legib. senatuscõsultis
ipse repugnabat in senatu, ꝓuincias vnus cẽs concupie-
rat, cui sordebat Macedonia ꝓuincia, quam victor sibi
sum pserat Cæsar, qd de hoc sperare, aut expectare nos o-
portebat? extitisti tu vindex nostræ libertatis, vt tunc
qdẽ optimus: Sed vtinã neq; nostra nos opinio, neq; tua
fides fefellisset &c. Quæ tibi nõ, antequã postulares, ma
iora quã velles, plura q̃ sperares, detulit Senat⁹? dedit
fasces; vt cũ autoritate defẽsorẽ haberet, nõ vt imperio
se aduersum armaret: appellauit Imperat. hostium exer-
citu pulso tribuens honorẽ, non, vt sua cæde casus ille fu-
giens exercitus te nominaret Imperatorẽ; &c. Cur aut
ingrat⁹ crudeliter, aut immemor benefi. ij sui scelerate
circũscribis Senatum? quo te misimus? à quib. reuerte-
ris? contra quos te armauimus? quib. arma cogitas in-*

ferre? à quibus exercitum abducis? & aduersus quos aciem struis? cur hostis relinquitur? ciuis hostis loco ponitur? cur castra medio itinere longius aduersariorum castris, & propius vrbem mouentur? O me nunquam sapientem, & aliquando id, quod non erat, frustra existimatum, quantū te popule Romane de me fefellit opinio. O meam calamitosam ac præcipitem senectutem. O turpem exacta dementiq; ætate canitiem. Ego patres conscriptos ad parricidiū induxi, ego Remp. fefelli, ego ipse senatū sibi manus afferre coēgi, cū te Iunonium puerum & matris tuæ partum aureum esse dixi; at te fata patria Paridem futurum pdicabāt, qui vastares vrbem incendio, Italiā bello: qui castra in templis deorum immortaliū, Senatū in castris habiturus esses. O miserā, & in breui tā celerem, & tā variam in Rep. cōmutationem, quisnam tali futurus ingenio est, q possit hæc ita mandare literis, vt facta, non ficta videantur esse? quis erit tanta animi facultate, qui, quæ verissime memoria ppagata fuerint, non fabulæ similia sit existimaturus. Cogita.n. Antonium hostem iudicatū, ab eo circumsessum consulem designatū, eundem Reipub. parentem, te prefectum ad consulem liberandū, & hostem opprimēdū, hostemq; à te fugatum, & consulem obsidione liberatū, deinde paulo post fugatū illum hostem accersitū, tanq̃ cohæredem mortua Repub. ad bona pop. Rom rapienda: consulem des, rursus inclusum eo, vbi se nō mœnibus, sed fluminibus, & montib. tueretur. Hæc quis conabitur exponere? qs credere audebit? liceat semel impune peccare, sit erranti medicina confessio, verū.n. dicā: vtinā te potiꝰ Antoni dominū nō expulissemus, quā hunc reciperemus: non q sit optanda seruitus: sed quia dignitate domini minꝰ turpis est fortuna serui, in duob. autē malis cū fugiendū maius sit, leuius est eligēdū, ille ea tamen exorabat, q̃ volebat auferre: tu extorques: ille consul prouinciā petebat: tu priuatus concupisti, ille ad malorum salutem iudicia cōstituebat; & leges ferebat: tu ad

tu ad perniciem optimorum; ille à sanguine, & incendio seruorum Capitolium tuebatur: tu cruore, & flamma cuncta delere vis. Si, qui dabat prouincias Cassio & Brutis, & illis custodib. nominis nostri, regnabat, quid faciet qui vitam adimit? si qui ex vrbe eijciebat, Tyrannus erat: quem hunc vocemus, qui ne locum quidem reliquit exilio? Itaque, si quid illa maiorum nostrorum sepulta reliquiæ sapiunt, si non vna cum corpore sensus omnis vno atq; eodem consumptus est igni: quid illis interrogãtibus, quid agat nunc populus Romanus, respondebit aliquis nostrum, qui proximus in illam æternam domum discesserit? aut quem accipient de suis posteris nuncium illi veteres Africani, Maximi, Pauli, Scipiones? quid de sua patria audient, quam spoliis triumphisq; decorarant? an esse quendam annos 23. natum, cuius auus fuerit argentarius, adstipulator pater, vterque vero precarium fecerit quæstum: sed alter vsq; ad senectutem, vt non negaret: alter à pueritia, vt non posset non confiteri eum agere, rapere Rempublicam, cui nulla virtus, nulla bello subactæ, & ad imperium adiuncta prouincia, nulla dignitas maiorum cõciliasset opem potentium: sed forma per dedecus, pecuniam, & nomen nobile conscelerat um impudicitia dedisset, veteres vulneribus & ætate confectos Iulianos gladiatores egentes, reliquias Cæsaris ludi ad rudem compulisset; quibus ille septus omnia misceret, nulli parceret, sibi viueret, qui tanquã in dotali matrimonio Rempublicam testamento legatam sibi obtineret. Audient duo Decij seruire eos ciues, qui, vt hostibus imperarent, victoriæ se deuouerunt; audiet C. Marius impudico domino parere nos, qui ne militem quidem habere voluit, nisi pudicum; audiet Brutus eum populum, quem ipse primo post progenies eius, à regibus liberauit, pro turpi stupro datum in seruitutem. Quæ quidem si nullo alio, me tamen internuncio, ad illos celeriter deferentur, nam si viuus ista subterfugere non potero, vna cum istis, vitam

ſimul fugere decreui. Hæc Tullius. Sed de hac Augusti Cæſaris impudicitia & ſtupris Suetonius in vita eius, c. 68. *prima ipſius iuuenta* (inquit) *variorum dedecorum infamiam ſubiit. Sextus Pomponius eum, vt effœminatum, inſectatus eſt. Marcus Antonius eum adoptionem auunculi ſtupro meritum: item Lucius Marci frater, quaſi pudicitiam delibatam à Cæſare. Aulo etiam Hircio in Hiſpania 300. millibus nummûm ſubſtrauerit: ſolitusque ſit crura ſuburere nuce ardenti, quo mollior pilus ſurgeret. Sed & populus quondam vniuerſus ludorum, die & acceptit in contumeliam eius, & aſſenſu maximo comprobauit verſum in ſcena pronunciatum de Gallo matris Deûm tympanizante: Videsne, vt cinœdus orbem digito temperat?*

Et cap. 69, ait Suetonius: *Adulteria eum exercuiſſe ne amici quidem negant: excuſantes ſane, vt non libidine, ſed ratione commiſſa, nempe quo facilius conſilia aduerſariorum, per cuiuſq; mulieres exquireret. M. Antonius feſtinatas Liuiæ nuptias obiecit, & fœminam conſularem è triclinio viri coram in cubiculum abductam, rurſus in conuiuium rubentibus auriculis, incomptiore capillo reductam: & dimiſſam Scriboniam, quia liberius doluiſſet nimiam potentiam pellicis: & conditiones quæſitas per amicos, qui matresfamilias, & adultas ætate virgines denudarent, atq; perſpicerent, tanquam Thoranio mangone vendente, &c.* Hactenus Suetonius: qui & inſignem illius tyrannidem, c. 13. 14. 15. 16. 17. 27. notat.

Sed vt hæc poſtrema mittã: Nonne ſatis, imo plus ſatis, è præcedentibus liquet, an ſenatu populoq; Roman. ac ſingulis eius ordinibus ſponte & vnanimiter (ſicut fieri oportuit) conſentientibus ac decernentibus lex illa regia lata (ſi tamen lata) fuerit, qua ſupremã ſupremi imperii & maieſtatis poteſtatem Auguſtus Cæſar conſecutus, legibusque ciuilibus indiſtin-

ctè

ĉte omnibus solutus sit? an vero donis ac dolis, vi & armis, minis ac promissis, simulationibus ac dissimulationibus versutis. Primum consulatum suum vi & armis extorsit: tribunitiam potestatem perpetuam, itemque legum ac morum regimen perpetuum, vt & ius censoris, ipsemet sibi sumpsit: cum leges pristinas retractaret, nouasque sanciret, tumultus exortus: varios insuper alios diuersorum temporum tumultus, variasque contra se coniurationes, crebro sustinuit, & callide compressit: de quo & Suetonius *capite decimonono*, libellos contra se famosos, & in ipsa curia spargi, & ad statuam suam affigi præcauere non potuit, *Sueton. cap. quinquagesimoquinto, septuagesimoprimo.*

Sane si lex regia à Senatu Romano sub Augusto lata, vel reuocata fuit eo ipso tempore, vt nonnulli arbitrantur, quo Augustus magno cum exercitu (Dione, Cicerone, & aliis testibus) vrbi hostiliter immineret; non vniuersus populus, sed Senatus solus, & is vi atque armis, metu, terrore, ac minis coactus, eam tulit: & hoc ipsum tamen non eo sensu, vt populus Romanus sua sese Maiestate, omnique iure, imperio ac potestate priuaret (neque enim Senatus solus hoc potuit: quippe Maiestas non Senatus, sed populi erat) summam quidem in eum potestatem contulit Senatus, sed haud secus atque in Iulium quoque Cæsarem, cui & perpetuam dictaturam, hoc est, potestatem maximam, concessit, legibusque eum soluit, sed interim populus Romanus suam sibi Maiestatem retinuit, non autem Iulio Cæsari se penitus & indistincte submisit.

Itaque si populus Roman omne ius, imperium, ac potestatem suam in Principem contulit, communicatiue seu cumulatiue, non omnino priuatiue contulit. Quod & Imperatores plerique mansuetio-

res ipsimet agnouerunt (vt satis patet ex Suetonio *in vita Tiberij, cap. 30.*) dum senatui imperium magna ex parte permiserunt; vtcunque iam scripta esset lex regia; & Iustinianus legem regiam plane nouo modo interpretatur; cum tamen Iurisconsulti à Iustiniano citati non dicant, imperium populo lege regia ablatum, sed ob difficultatem conuocandi in vnum populi concessum principi; quippe eatenus fortasse communicatum, non vt solus absolute imperium omne haberet, sed vt solus tantum haberet, quantum omnis populus, adeoq; iura non minus condere posset solus, quam leges populus, vt colligit Baro *ad l. 1. ff. de constit. princip. & ad l. 31. in fin. ff. de legib.* Iustinianus (ait Baro) ita accipit legem regiam, quasi soli principi facta esset deinceps potestas iura constituendi, eademque populo adempta esset. Sed Pomponii historiæ magis congruit, ob difficultatem conuocandi populi (*l. 2. §. 9. de orig. iur. adde §. 5. Institut. de iur. natural.* & quia Senatus non perinde omnes prouincias solus probe gerere poterat, §. *11. d. l 2.*) datam esse soli principi potestatem iuris constituendi, quæ populum tamen legislatione non excluderet, quod patet ex *l. de quib. 32. de ll.* vt ita princeps iura conderet, populus leges. Pomponius sane *d. l. 2. de Orig. iur.* legem regiam ignorat, principisque potentiam & ius non ita extollit, vt alii. Constituto principe (ait *d. §. nouissime. 11. in fi.*) datum est ei ius, vt, quod cōstituisset, ratum esset: Ac §. seq. fin. principalis constitutio, id est, vt quod ipse princeps constituit, pro lege seruetur, &c.

Aliter ergo Senatus Roman. suam illam potestatis & imperii sui in principem translationem intellexit, aliter Cæsares, aliter quoque & aliter etiamnum Interpretes. Senatus sane post legem Regiam adhuc leges seu iura, vt ex historiis apparet, condebat, tam diu donec ei Cæsares tandem id ius adimerent, *Donell. 1.*

com-

comment,iur.ciuil.8. quin etiam Cęsares orationibus per candidatos in Senatu recitatis (quarum multæ adhuc passim in iure obuiæ) Senatores crebro rogarunt, vt ea quæ ipsi (Cæsares) volebant, Senatusconsulto firmarent: quippe conscientia sic vrgente fatebantur supremam Maiestatis potestatem esse penes populum Romanum, quem Senatus repræsentabat: vnde & Augustus Cæsar solenniter à senatu petiit, vt Liuia coniux lege Voconia solueretur, Tiberius vero, vt liberi sui legibus Annariis. Quin & hinc Augustus (*teste Sueton.cap.53.*) DOMINI appellationem non admisit: forte quia reges iam permulti, quondam Reipubl. Domini esse voluerant Et quoniam regum mentio facta, haud equidem tacendũ illud est, quod populus Romanus quasi natura sua perpetuo, ac vel iam inde à primo politiæ suæ ortu, tam auidus imperii ac libertatis fuerit, vt sub regibus quoque primi seculi Vrbis conditæ, prima, vera, & suprema legis condendæ potestas, adeoq; maiestas, magis populi quam regis extitisse, non immerito videri possit: aut sane limitata quædam & tyrannica maiestas Regis, populo non tam iubente aut cõsentiente, quam tacente; absoluta vero, prima ac suprema populi, & legis fuisse.

Etenim sub Romulo populus legum sciscẽdarum, magistratuum creandorum, & belli ac pacis constituendæ potestatem (quæ vera supremi ac solius absolute regnantis regis regalia sunt) habebat. De quibus omnibus Halicarnassæus, Connan.*1.comment.12.nu. 1.& cap.16.num.10. Romulus ergo ac prisci reges, non soli, sed vna cum populo leges ferebant; Imo populus ferme solus; vt apud hunc suprema rerum omnium potestas fuerit, in regibus vero plus dignitatis & authoritatis, quam iuris, potentiæ, aut dominationis. Itaque Reges isti legibus ciuilibus soluti non erant. Hanc maiestatem populus deinde exactis regibus sub consulari quoque potestate retinuit: Sed vt prius Regum, ita nunc patrum,*

patrum, authoritati quadantenus subiectam. Vnde hic iam non plebs, non Senatus, non equester ordo, sed vniuersus populus omnibus istis partibus (nullo ciuium genere, seu ordine, omisso) *constans, legem ferre & reuocare poterat; Quæ cum ita sint, Lex sane Regia, etiam antiqua ista* (nedum renouata sub Cæsaribus) *non tantum ponderis ac virium etiam antiquitus habuisse videtur, quantum Cæsares, & eorum adulatores prætendebant, sibique exinde arrogabant. Ac certe ex antiquo illo legis* (vt putant) *Regiæ monumento etiamnum hodie Romæ extante, de quo supra, satis superque apparet, Senatum populumque Romanum principi certa quædam, eaque eximia, priuilegia, maximamque potestatem, non autem omne suum ius, imperium, potestatem, ac maiestatem suam contulisse, ac sese istis omnibus plane priuasse. Idem namque in eo* (monumento) *semper dicitur concedi Vespasiano, ac Diuo Augusto, quod & Iulio Cæsari: Atqui Iulius Cæsar, tanquam perpetuus Dictator, summam in Republ. potestatem habuit, legibusque solutus fuit; Senatu populoque imperium suum cum ipso quasi communicante: Supremam tamen supremi imperij Maiestatem non habuit, nec Dominus Reipublic. fuit, in quem populus omne imperium, ius, ac Maiestatem suam contulisset, & ita contulisset, vt sese istis omnibus priuasset. Si quos magistratum vel imperium, &c. petentes* (ait monumentum) *Senatui populoque Roman. princeps commendauerit, eorum extra ordinem ratio habeatur: Iam vero si Senatui populoque ex huius ipsius lege ac decreto tales commendat princeps, profecto Senatus populusque summam cum principe potestatem & auctoritatem quasi communicarat, non autem ea seipsum priuarat: Quibus legibus plebisve scitis* (ait monumentum) *Iulius Cæsar & Augustus non tenebantur, ijs legibus plebisque scitis & Vespasianus solutus sit. Vnde satis*

de satis superque constat, principem à Senatu populoque non simpliciter & indistincte omnibus legibus ciuilibus solutum fuisse, imo vero certis quibusdam adstrictum; Sic enim ibidem Monumentum: Quæ ex quaque lege rogationeve Iulium Cæsarem & Augustum facere OPORTVIT, *ea omnia Vespasiano facere liceat.* Et mox ibidem. Quæ ante hanc legem acta vel imperata à Vespasiano, iussu mandatuve eius à quoque sunt, ea perinde iusta rataque sint, ac si populi plebisve iussu acta essent. E quibus omnibus satis patet, quod populus Romanus per legem Regiam, quam vocant, plus authoritatis ac dignitatis Principi attribuerit, sibi vero plus potestatis, tametsi latentis, retinuerit: adeoque sua se Maiestate neutiquam priuarit: Sed veram potius & absolutam (licet quadantenus occultam) Maiestatem sibi reseruarit, Principi autem vicariam (magis tamen conspicuam seu spectatam) concesserit: idque tanto magis patet, quia populus Augusto singulis decenniis aut quinquenniis imperium de nouo confirmauit: ideoque supremi Dominus Imperii semper mansit: Secus enim Augusto Vicarium istud summum imperium de nouo reddere vel confirmare non potuisset. Quod quis enim ipsemet non habet, id in alterum conferre non potest. Deinde Senatum populumque Maiestate sua neutiquam se abdicasse ex eo quoque patet, quod Neronem (*Suetonius in Nerone, capite 49.*) & alios peruersos Imperatores iudicarunt hostes Reipublicæ, ac MORE MAIORVM puniendos pronunciarunt & condemnarunt: quod mortuorum quoq; principum, qui scelerate imperium gessissent, memoriã damnarunt, & ignominia notarunt: deniq; & ex eo, quod pleriq; Imperatores non iure hæreditario successerint, sed liberis suffragiis populi ac Senatus; quandoq; & militum. Quapropter alio sensu ac fine ista imperii lex à

Senatu

Senatu populoque Roman. lata fuit, quam Vlpianus ac Tribonianus explicarunt, & imperatoribus persuaserunt (licet nec hi affirment, imperium populo lege regia ademptum esse) proinde historicis fide dignis hac in parte plus fidei adhibendum, quia partiales non sunt, quam imperatoribus superbis, maleve persuasis, & nonnullis eorum hac in parte, adulatoribus Iurisconsultis: quia partiales sunt, vt ita loquar: imo ipsi vna cum sua lege Regia sunt in quæstione, & quasi Iudex simul ac testis in propria causa. Sin autem eo sensu, quo Imperatores interpretati sunt, lata fuit, grauissime & imprudētissime peccarunt Romani. Populus sane prudens, ac respublica prudenter constituta (vbicunque terrarum sit) nunquam indefinite ac indistincte, nunquam sine omni conditione ac lege, supremam principi maiestatem permittit. Hoc enim est tyrannidi apertissimam patefacere fenestram. Quod & diserte præstantissimus Connanus *1. comment. iur. ciu. cap. 16. nu. 2. populus Roman.* (ait) *omnimoda potestatis suæ in principes translatione ita se nudauit ac debilitauit, vt Principes suos deinceps non modo Reges, quos oderat, sed crudelissimos tyrannos sit expertus: quod nunquam euenisset, si principem iisdem legum vinculis, quibus vniuersam antea ciuitatem* (hoc est, vniuersos ac singulos populi ordines, tam patres & senatores, quam alios) *constrinxisset.*

CAP. II.

An Princeps legibus solutus, ac præsertim an iis simpliciter, omnimodo & indistincte solutus, &c.

SEd hactenus, an populus Romanus omni iure, imperio, ac potestate sua per legem regiam sese priuarit, ac, si fecit, an prudenter fecerit: Nunc, an prin-

princeps Romanus eadem lege regia legibus solutus fuerit; & an prudenter recteque ac vere solutus; & quibus, quomodo, & quatenus. Lex regia, an, & quãdo lata, vehementer dubitatur, sed an modo rituque legitimo lata, adhuc vehementius, vt supra dictum: quippe cum primi Cæsares vi, dolis, ac donis, minis, ac promissis, variisque technis & blandimentis, simulationibus ac dissimulationibus versutis, legem regiam (si lata vel reuocata fuit) callide extorserunt, omniaq; magistratuum, senatus, ac legũ munia, tantamq; istam, qua pollebant, potestatem & imperium fraudulenter ad se pertraxerint: leges & alia pro suo arbitrio tulerint, retractarintve: item cum senatus potius solus, isque partim largitionibus corruptus, partim coactus, territus, ac circumuentus, quam vniuersus populus rite congregatus & rogatus sponte atque vnanimiter consentiens (vide Cicer. ad Octauium epist.) legem illam tulerit, ac reliqua ista principi concesserit: imo cum populus, & è senatoribus quandoque nonnulli, varios subinde contra primos Cæsares tumultus, variasque conspirationes excitauerint, libellosque famosos sparserint (de quibus singulis paulo ante) suum in plerisque Cæsarum conatibus & innouationibus dissensum satis testantes.

Vnde abunde constare potest, an lex illa regia, quâ princeps simpliciter & indistincte legib. solutus perhibetur, iusta, sanctaq; & valida censeri possit.

Legibus vero solutum esse, alii generalius, alii specialius interpretantur *in l. princeps, de legib.* Et aliud est legibus solutum esse; aliud, legibus omnibus simpliciter, omnimodo, & indistincte solutum esse.

Certe legibus solutum esse, ac potestatem legibus solutam obtinere, idem significare videntur, præsertim in principe, nempe leges pro lubitu quaslibet aliis dare, nullas à quoquam accipere, nullius leges admittere, nullis vllius hominis, ac ne suis ipsius

quidem legibus obstrictum esse: Leges Reip. omnes in potestate sua habere, eas pro lubitu mutare, obrogare, derogare, subrogare, abrogare, &c. Item ea, quae iure facta non sunt (vt adoptionem non iure factam, *l.38. de adop.*) confirmare: sic enim Cuiac *15. obser. 30. in d.l. princeps.* legibus solutum esse principem, interpretatur: sed hanc tamen interpretationem, secundum alios, nō patiuntur ea, quae in eadem lege (princeps) mox de Augusta subiiciuntur: quandoquidem legumlatio, vel mutatio, & similia, ad Augustam nullatenus pertinent. Secundum hos ergo solutum legibus esse *in d.l. princeps.* significat non teneri legib. vel iam latis, vel deinceps ferendis, *Baro ad saepe d.l. princeps*: vt ita aliud sit quaerere, *An princeps leges latas tollere, mutare, nouas ferre, &c. possit*: & aliud, *An legibus latis & in vigore suo permanentibus viuere teneatur*: Quae istius legis propria quaestio istis videtur, conf. Dn. Vult. *comment. Institut. ad §. 7. num. 4. 5. de iure nat. gen.* Et hactenus quid sit legibus solutum esse. Simpliciter & indistincte, in genere, omnimodo & absolute, legibus solutus dicitur, 1. qui nec legibus viuere, seu obedire tenetur 2. nec ab vllo mortalium, si contra legem vllam deliquerit, plecti potest. 3. cui liberum plane est, pro arbitrio suo leges, cum opus est, ferre, vel non ferre, abolere, mutare, corrigere, limitare, cum opus est; vel id non facere. 4. liberum item, interpretari eas in dubio, & id, si fiat, pro lubitu, vel non interpretari. 5. denique legibus simpliciter solutus est, qui nec leges custodire, nec alios ad obseruantiam earum adigere, punire, aut praemiis afficere tenetur: sed haec ipsa, & priora omnia & singula, pro beneplacito arbitrii sui, vel facit, vel omittit. Quae quidem à legibus solutio periculosissima & perniciosissima est, ad Getas releganda. Tyrannidem saepe maximam illa solutio, & lex Regia; Connano, & aliis testibus; in Rempublicam Romanam introduxit.

xit. Populus enim Romanus omnimoda, legibusque soluta potestatis suæ in principes translatione ita se nudauit ac debilitauit, vt principes suos deinceps non modo Reges, quos oderat, sed crudelissimos tyrannos sit expertus: quod nunquam euenisset, si Principem iisdem legum vinculis, quibus vniuersam antea ciuitatem (hoc est, vniuersos ac singulos populi ordines, tam patres & senatores quā alios) constrinxisset.

Romani ergo, si eo pacto, si eo sensu, quo Imperatores interpretati ac persecuti sunt, legem regiam tulerunt, ac principem nimirum in genere, simpliciter & indistinctè legibus soluerunt, nempe non aliquibus, sed omnibus: Grauissime & imprudentissime peccarunt; quippe qui plus principi tribuerent, quam ipsimet antea habebant. Erant enim in populari statu legibus subiecti, vniuersi ac singuli in populo ordines. Principis potestas (ait Cuiacius *in Recitatio. ad tit. Cod. de testamentis, columna decimanona vel decimaoctaua.*) aliquanto maior esse, quam populi fuerit. Populus enim suis legibus tenebatur, princeps suis legibus non tenetur. Et in notis prioribus ad §. *sed & quod. 6. verb. et & in eum. Institut. de iur. natural.* Nec vllo alio (inquit) distat populus à principe, quam quod populus suis legibus tenetur, princeps legibus solutus est. Sed populus præterea, vt suis, ita & principis legibus tenetur. Principem igitur populus cum vice sua constituit, se quoque principis legibus obligauit. Hęc Cuiacius: qui tamen eadem ista *in d. tit. Cod de testament.* limitat, & inprimis *in recitat. ad l. g. s. col. 9. de iust. & iur* contrarium sentit. Ac profecto neutiquam verisimile est, quod populus Roman. principem in genere, simpliciter, & indistinctè legibus soluerit. Nec vero vnquam dicam (inquit Cuiacius *d. tit. Cod. de testamen. colum. vlt. in princip.* generaliter esse verum, quod ait L. princeps.

postquam populus lege Regia, quæ de eius imperio lata est, et & in eum omne imperium suum contulit.

Sed vt maxime Cuiacius, & alii, contrarium sentiant (dixeris) Triboniano tamen & Vlpiano teste, princeps legibus solutus fuit. Solutus forsitan (inquam) sed non absolute, simpliciter, in genere, & indistincte: id quod ex supra citato legis imperii monumento patet: Quibus legibus plebisve scitis (ait monumentum) Iulius Cæsar non tenebatur, iis legibus plebisq; scitis & Vespasianus solutus sit, &c. Vnde satis superque constat, Principem à Senatu populoque non simpliciter & indistincte omnibus legibus ciuilibus solutum fuisse, imo vero certis quibusdam adstrictum: sic enim ibidem monumentum: quæ ex quaque lege rogationeve Iulium Cæsarem, & Augustum facere OPORTVIT, ea omnia Vespasiano facere liceat. Pomponius certe *l. 2. de orig. iur* istam Principis à legibus solutionem prorsus ignorat; & aliud innuere videtur: constituto principe (ait *in fin.* §. *nouissime 11.*) datum est ei hoc ius, vt, quod constituisset, ratum esset: & in *fi.* §. *12.* principalis constitutio (ait) id est, vt, quod ipse princeps constituit, pro lege seruetur. Sin autem simpliciter, absolute, in genere, & indistincte legibus solutus fuit Princeps à populo Romano: de facto quidem solutus fuit, non autem de iure: quippe de facto & concessione populi, vel potius Senatus, partim corrupti, vt supra dictum, partim decepti, partim coacti, ac perterrefacti: de facto, inquam, 1. Senatus imprudenter ac minus iuste, minusque Reipub. vtiliter, soluentis. 2 Ipsius Principis imprudenter, imo contra iustitiam & conscientiam suam acceptantis & vsurpātis id, quod versute ac dolose extorserat. Veri enim, hoc est, boni ac iusti, Principes rationem rectam, & virtutis ac iustitiæ naturalis. id est, legis cōscientiæ, normam sequentes, ac bonum publicum, non autem priuatum, spectantes so-

lutionem istam neutiquam acceptarent vel vsurparent, *l.4. C. de legib. l.23. de legat.3. l.3. C. de testament. Paul. 4 sentent.5.§.3.*

Proinde (vt modo dicta repetam) si legibus simpliciter & indistincte solutus est princeps: quoad senatum soluente solutus est; non reuera quoad ipsum principem, eiusque personam, officium, rationem, conscientiam, non quoad ius naturæ, gentium, aut ciuile: *attestante l.3. C. de testamen.* licet lex imperii solennib. iuris imperatorem soluerit (ait) nil tamen tam proprium imperii est, quam legibus viuere. Populus quippe Romanus, vel potius senatus solus, soluit eum, misere persuasus ac circumuentus; populus, inquam, non Deus, non conscientia, non natura; non ratio naturalis, non ratio politica, non ius societatis politicæ, non consuetudo seu mos maiorum pristinus ac legitimus, non officium veri principis. Olim totus populus in Republica Romana, & aliis similibus, nullo hominum ordine, nullo homine (nisi plane extra ordinem) excepto, legibus suberat: omnes cuiuscunque ordinis homines, si grauius deliquissent, plectebantur: quod id postea in monarchiis (Romana, & aliis) fieri desueuit, hoc vitium est Reipub. male constitutæ, & in eo ipso male constitutæ, quod Monarchæ legibus soluti; ac per omnia suo ipsorum arbitrio & placito permissi. Romani sane in lege regia (si principem simpliciter soluerunt legibus) grauissime peccarunt, quod plus scilicet principi tribuerunt, quam ipsimet antea habebant: Erant enim legibus subiecti vniuersi ac singuli in populo ordines. Nec quidquam est, quod in Monarchia tam obstet, quo minus principi citra nullam hæsitationem primas præ reliquis Reipublicæ rectæ formis deferamus, quam illud ipsum, quod Monarcha legibus solutus esse, ac pro affectu, & plenitudine potestatis pleraque statuere, & imperare

perare cupiat: non autem ex plenitudine rationis rectæ, virtutis, legum, iuris & æquitatis certæ atque expeditæ. In Iurisprudentia sane tota verissimum & sanctissimum perpetuo esse debet: Ratio est anima legis: Lex ciuilis est anima ciuitatis: salus populi suprema lex esto: quæ singula neutiquam subsistunt, si princeps suo solius nutu & arbitrio absoluto omnia agat. Bonus princeps priuatæ suæ vtilitati omnino anteponit ea, quæ publice, & communiter prosunt, §. *antepenult. in fin. & ibi Gothofred. Cod. de cadur. tollen.* & ibidem: Bonus princeps existimat, & imperiale esse ducit, sic existimare: subditorũ videlicet commodum ipsius principis esse proprium commodum. Quare non est ita simpliciter solutus legibus, vt arbitrium quoad leges plane absolutum habeat: secus enim non teneretur leges, quæ necessariæ sunt, ferre: nec latas custodire, & interpretari, nec corrigere, cum opus est, aut mutare, vel abrogare: nec subditos ad obseruãtiam earum adigere: nec sontes punire, ac bene meritos præmiis afficere: nõ teneretur, inquã: quãdoquidem omnia & singula ista pro beneplacito arbitrii sui, vel facere vel omittere posset. Longe melius *3. de legib.* Cicer. *magistratus recta & vtilia, & coniuncta cum legib. praescribere debet. Nam populo* (ait) *magistratus præsunt, sed magistratib. leges.* Sapienter *4. de rep.* Plato, *se interitum illi Reipub. paratum videre, in qua non lex principi ac magistratui, sed princeps ac magistratus legi praeesset: Salutem vero illi, vbi lex magistratibus, ipsi legi seruientibus, dominaretur.* Lex omniũ Regina est, mortalium & immortalium, ait Pindarus. Quis principi princeps est? Lex, ait Plutarch. vide Corras. *2. Misc. 25.* Talia sane sunt hominum plerorumq; ingenia, vt, si pro suo arbitratu ac voluntate nuda viuere aut imperare eis liceret, in orbe nihil tutum, nihil sanctum esset. Non ergo pro voluntatis arbitrio, sed secundum leges, magistratus

ac Principes officio suo perfungi debent. 1. *2. polit. 2.* Quia voluntas hominum est instabilis, incerta, & admodum periculosa actionum humanarum norma, *Aristot. 2. politic. 8.* Lex autem certa & stabilis est vitæ humanæ, actionum, & iudiciorum, norma, & tanquam custos ac medicus; qui, ne mala oriantur, impedit, quæ autem irrepserunt, euellit. Leges præscribunt, quomodo iuxta vnamquamque virtutem in quolibet vitę genere viuere, omnesq; actiones & facta hominum rectę diiudicare debeamus, ne vsquam à vero aberremus, *5. Ethic. Nic. c. 1.* 2. Voluntas humana ab ingenio cuiusque dependet: Lex nequaquam. Voluntas sæpe praua consilia molitur: Leges vero æqua, honesta, vtilia, semper spectant. Voluntas æstuat cupiditatibus: Leges vero eas coercent: (*4. polit. 16, 1. pol. 12.* Hinc Solon interrogatus, quo pacto salua possit esse Respub. Si ciues quidem (ait) magistratui obediant, magistratus autem legibus, *Stob. serm. 41.* 3. Lex non facit vllum discrimen inter amicum & inimicum: nihil tribuit affectibus, *1 polit. 12. & 3. polit. 17.* Voluntas autem nostra affectibus plerunque indulget. Vbi autem affectus: ibi verum perspici recte non potest, *Salust. in coniur. Catil.* Eleganter Aristoteles *3. polit. 11. & 4. polit. 4. & alibi.* vbi homo merus imperat (non autem simul lex & recta ratio) ibi affectus & bellua imperat. Perfecta Respublica (inquit) sine legibus subsistere nequit: Imo vbi leges non imperant, ibi Respubl vera omnino esse nequit. Etsi enim magistratus quoque imperat, tamen secundum leges imperat, idque singulis, lex autem vniuersis. Qui sine legibus viuunt, à brutis non differunt. *Plat. 4. de legib.* & hinc recte Princeps Bonus Platoni in πολιτεία definitur, qui ex lege & more dominatur, apud quē nulla res magis valet, quam ius & æquitas, quam recta ratio, quam Reipubl. vtilitas, honor ac dignitas. Et quid ius, quid

lex?

lex? nisi iustitiæ & rationis rectæ præscriptum in agendis iis omnibus, quæ prudenter, recte & vtiliter peragi debent. Itaque princeps verus, vt rationi rectæ ac prudentiæ, sic iustitiæ quoq; ac proinde iuri & legibus se submittere debet haud grauate. Qui sine lege viuit, sine ratione ac sine ordine viuit: Ideoque principem simpliciter & indistincte legib. soluere, est eum ratione recta dispoliare, affectibus subiicere ac mancipare, ciues ac subditos omnes ex ipsius affectibus regendos curare: ad anarchiam & tyrannidem patentissimam ei fenestram aperire. Rectius igitur hodie Principes statim initio imperii sui populo iurant in leges Reipub. Ideoque tantum abest, vt legibus soluti sint, vt quam maxime obstringantur legibus Politiæ ex suo iureiurãdo, ait Cuiacius *in recit. ad tit. Cod. de testam. Col. 19. & in recit. ad l. 5. col. 11. de iust. & iur.* Hodie *att.* Principes non sunt soluti legibus, quod est certissimum, quoniam iurant in leges patrias, in quas olim non iurabant. Ita Galli suas habent leges Salicas: Germani Auream Bullam, & cõstitutiones nonnullas: alii alias leges, non tantum ducibus & comitibus, sed Regibus quoque & imperatoribus, vt eas obseruent, præscriptas: & hoc adeo quidem, vt, si eas non obseruent, sed enormius aduersum ipsas peccent, de Regni quandoque & imperij sui throno deturbari possint. Sic enim Wenceslaum Imperatorem ab imperio remouerunt Electores, *Volaterranus li. 23. Bapt. Egnat. Ioan Cuspinian. in vitis Imperator.* & olim à Senatu Romano sæpe Imperatores sunt hostes iudicati, *Sueton. in Neron. & alibi.*

Sed viri boni *obiiceris* etiam pro voluntate sua, quippe quæ bona & sincera est, agentes, magistratu, quem gerunt, recte perfungi possunt: ergo & absque legibus recte viuere atque imperare. Viri boni inquam etiamsi non ideo bene agant, quia lex iubet, sed propter virtutem, quã colunt, & secundum quam

ipsis viuere constitutum est: tamen consultius est, legib. Imperium demandare, quam arbitrio cuiusuis, etiam boni. Optimus enim quisq; affectibus subinde ducitur, Aristoteles. *3. Polit. 15.* ideoq; idē *5. Ethic. Nic. 6.* rationem, ait, (seu legem: nam lex nil suadet quam idipsum q ratio suadet) non hominem, imperare volumus. Ergo & viri boni legib. constringendi, vt nimirum, si quando ex infirmitate, etiam ab optimis non aliena, perturbationum affectib. ducti fuerint, legibus eas ipsas comprimant. Quandoquidem tamen lex vniuersaliter loquitur, nec particulares actionum & circumstantiarum singularium casus omnes, exprimere ac persequi potest, *2. Polit. 8. 3. Politicorum.* 12. propterea, si quando incidat quæstio de singulari facto, de quo nulla lex præcipit; hic magistratus arbitrio quidē suo vti potest, & pro prudentia sua decernere, *3. Polit. 15.* sic tamen, ne hoc decretū aut rectæ rationi & conscientiæ, aut vllis legib. latis, vlla ex parte repugnet: deinde nec priuata auctoritate, sed communib. consiliis prius communicatis, tale decretum statuendum est: nisi absq; communi consilio id alicui forte permissum sit: *Vide 3. Polit. 11.*

Atqui *dixeris* licet inferiores magistratus secundum leges viuere ac iudicare debeant: supremus tamen, veluti Rex aut Princeps, supra leges esse videtur. Si quis Rex, inq̄, aut quiuis magistratus supremus, ab humanis affectib. ac perturbationib. plane solutus esset, is absolute quoq; legib. solutus esset, adeoq; & legibus præesse dici posset. Et hoc sensu Aristot. *3. Polit. 13.* Regē ab omni lege immunem statuit, nempe Regē eum, qui ab omni affectu liber: qualis tamen Rex nusq̄ terrarum inuenitur, hodie præsertim, cū ingenia hominū semper in peius ruunt. Atq; Rex humanis perturbationū affectibus obnoxius, legibus ēt à forma Imperii sui Regia legitime prodeuntib. omnino obnoxius & subiectus tenetur. Absolute ergo tu-

tius

tius est Regem, & omnem supremum magistratum, subesse, quam præesse, legib. quandoquidem nemo hominum plane liber est ab affectibus & perturbationibus: de quo eleganter Picolominæus, *10. gradu philosophiæ moralis, cap. 19.*

Atque hæc in genere de quæstioncula: An princeps legibus solutus.

Sed quoniam leges non vnius sunt generis, dispiciendum sane & in specie fuerit, quibus nam legibus, quomodo, & quatenus, Maiestas, seu princeps iure Maiestatis, solutus perhiberi queat, vel non queat.

Maiestas Reipubl. cuiuscunque Respectu Dei absoluta nequaquam est: Sed ratione hominum tamen: & horum quidem respectu, vel proprie ac vere, absoluta: vel κατά τι, hoc est, cum limitatione quadam. Ea vero quæ proprie etiam absoluta dicitur, Dei, naturæ seu conscientiæ, & communis politiæ legibus neutiquam soluta est; secus enim omnino ratione quoque, iudicio, & ordine, soluta ac destituta foret. Itaque nulla vllius hominis potestas, vel maiestas, in imperio sic absoluta esse debet aut potest, vt simpliciter ac proprie vel omnimodo & indistincte legibus soluta sit. Ac de iis quidem, quæ Dei sunt, item iuris naturæ, seu conscientiæ, rationis communis, & iuris gentium, nemo sanæ mentis ambigit; eo ipso enim princeps, quod creatura est, & creatori, ac communi hominum naturæ subiectus, etiam legi creationis ac naturæ, seu conscientiæ, subiectus est: & eo ipso quod huius mundi, seu politiæ mundanæ ciuis est, communibus communis politiæ legibus, iure gentium subiectus censeri debet. Imo ne omnibus quidem specialis alicuius politiæ, vel regionis, cui præest, legibus solutus esse potest: de quo infra. Recte ergo *in d. l. Princeps* Baldus, principem esse sub lege poli, naturæ, rationis: vt detestandi sint Principes isti, imo ne

hominum

hominum quidem, ne dum Principum, nomine digni, qui legum istarum repagula laxant: execrandi vero illi, qui sese tam nefarios nefariæ libidinis administros principibus præbent. Quo ad istas enim leges, omnium omnino hominum par ratio est, nullus inter eos ordo, nullus princeps, nullus subditus, vt eleganter *Vult. in comment. Inst. ad §. 7. n. 8. de iur. natural gent. & ciu.* Quapropter (vt modo dicta repetam & concludam) legibus omnium hominum communibus, vt puta diuinis (præsertim decalogi) naturalibus, & gentium legibus, nullus princeps, nullus Imperator, vllo modo solutus est: quia his non vt Princeps vel Imperator, sed vt homo tenetur, adeoque in iis per omnia eodem cum omnibus aliis, etiam priuatis, hominibus iure vtitur. Vnde Baldus *in l. 1. C. de seruit. & aq.* Quantumuis Princeps legibus solutum sese dicat, rationis tamen naturalis dictamine tenetur & obstringitur, cum ius naturale potentius sit, quam Principatus, aut Imperium. Naturales ergo & gentium leges Princeps abrogare & violare non potest; quippe terminos, quos ter Maximus ille Iehoua sempiternis naturæ legibus regit, mouere non potest: idola colere, peierare, homicidia patrare, adulteria committere, bona subditis eripere, Rempub. deformare, statum Oeconomicum, politicum, Ecclesiasticum, subuertere, dominiorum distinctiones tollere, aliaque diuinis, naturæ, & gentium legibus contraria facere, principi nullo modo fas est. Ac summatim, quæ pietatem, existimationem, verecundiam lædunt, quæque contra bonos mores fiunt, neminem nec Principem, nec magistratum, nec priuatum facere oportet, *l. 15. de condit. instit. l. 1. C. Si aduers. vendit. l. 5. C. si minor se maio. dix. l. 6. C. si contra ius.* Quin & in alterius perniciem, seu præiudicium tertii, vel successoris sui Princeps nihil quicquam facere potest, *Coanan. 1. Comment. iur. ciu. 16. num.*

num. 8. & 10. in fin. Dambhud. in prax. crim. cap. 82. n. 66. 68. 713. 85. 104. & contra priuatas ciuium personas legem condere non potest, *Gail. de arrest. Imperij cap. 9. nu. 9.*

Denique pactis conuentis Princeps æque ac subditus obligatur; nec refert, siue ab ipso, siue ab alio, in cuius ius succedit, contractus celebratus sit: *Dn. Vult. d. n. 8. & 1. Jurisp. Ro. 12. num. 33. & 36. cum ibid. allegat.* ideoque lege contractus minime solutus est: Nec mirum: contractus siquidem iuris gentium existunt. Hinc *Oldend ad d. l. Princeps*, legibus à Iustitia distributiua, non autem à commutatiua descendentibus solutum esse principem. *Conf. Dn. Vult. d. n. 8.*

Et hactenus de diuinis, decalogi, naturæ, conscientiæ, rationis communis, iuris gentium, & contractuum seu commerciorum legibus; (quas omnes princeps cum subditis communes habet: quia his nō vt princeps, sed vt homo, tenetur) quibus Princeps nullo modo solutus est: quandoquidem & eas ipsemet gnauiter seruare debet, & alios omnes ad earum obseruantiam sedulo adigere, præmiisque ac pœnis debitis afficere; quin & singulas recte, cum opus est, interpretari, & omnino illibatas custodire, non autem mutare, corrigere, obrogare, derogare, subrogare, abrogare, abolere, &c.

Nunc ergo de ciuilibus dispiciamus, nempe de ciuilibus stricte proprieque sumptis (sunt enim & naturales gētiumq; leges in Rempub. Romana ciuiles: quoniam à ciuitate Romana receptæ, confirmatæ, sancitæ: sed ciuiles in genere, non in specie ac proprie.)

In istis Interpretes admodum variant. Etenim nonnulli ἀτόπως omnibus indistincte legib. Principem solutum esse censent, *iuxta sæpe d. l. princeps*: alij omnibus indistincte legibus, sed ciuilibus, non autem diuinis, naturalibus, gentilibus. Ita interpretes Latini,

Latini, eosque secuti, omnibus quibuscunque legibus (græci pœnariis solis) Principem soluunt, *teste Cuiac. 15. obs. 30. & alibi. Dn. Vult. comment. Instit. ad §. 7. num. 5. de iustit.* Alii scriptis tantum ac mere ciuilibus, seu mere positiuis, & his tamen omnibus & quibuscunque simpliciter & indistincte. Et hi Vlpianum, quod in iam modo d. l. has ipsas (diuinas, naturæ, gentium) non exceperit, eo excusant, quod Vlpianus tantum intra terminos habiles locutus sit, & quod istæ leges (diuinæ, naturales.) Vlpiani regula non contineantur, ac iura potius, quam leges dicantur; ideoque exceptione opus Vlpiano non fuerit in iis, quæ regula ista non continentur, in qua sermo sit de lege strictius accepta, hoc est, à populo Romano lata, vel certe de lege ciuili, id est, lege populi, Senatusconsulto, & constitutione Principis: de quibus *titulo* 2. 3. 4. *lib.* 1. *ff.* agitur: nam de iure naturæ & gentium titulo 1. satis actum fuerat. Accuratius in hoc genere quam cæteri omnes acutissimus Vult. *in comment. Instit. ad §. 7. num. 8. de iur. natural. gent. & ciu.* qui ciuilibus seu humanis Principem legibus solutum censet, non autem simpliciter & indistincte omnibus: quippe solis ab ipsomet, vel a antecessoribus eius latis; non aliis; imo ne istis quidem omnibus; quippe nō in ijs quæ ad ipsum Imperij statum pertinent.

Contra vero aliqui nullis principem legibus simpliciter solutum esse contendunt, sed certis tamen priuilegiis ac regalibus eum frui, præcellentissimus Iurisconsultus Dn. Gothofr. *ad d. l. princeps, de ll. & ad N. 105. in fin. Danæus in Politica Christiana.* Alii certis quibusdam eum legibus ciuilibus solutum esse, quibusdam non solutum, statuunt, vt *Cuiacius, Donel. Corras. & ceteri.* Ita græci interpretes pœnariis ipsum legibus solutum perhibent; Cuiacius caducariis. Donel. 1. *comm. 17. Coras. 2. Misc. 25. Frid. Bruck-*

Bruckmannus tr. de Regal. p. 1. §. soluta potestas, cap. 5. num. 81. solennibus iuris. Nonnulli denique inter vim legis directiuam (qua eum ligatum censent) & coerciuam (quæ solutum) distinguunt, *Dominic. Sotus li. 1. de I. & I. quæst 6 art. 7. Couarru. ad c. alma, p 1. §. 7. num. 4. Fachinæ. 1. controuersi ar. 2.* Et hæ præcipuæ sunt aliorum opiniones. At vero neque omnibus, neque aliquibus ciuilibus legibus, simpliciter, absolute & indistincte solutus est princeps. Proinde eminentissimi Iurisconsulti Dn. Gothofredi sententia magis tuta & vera, magisque pia & Christiana est, nempe quod nullis omnino ciuilibus legibus (scilicet veris & honestis, rite latis, & in vigore suo permanentibus) simpliciter, absolute omnimodo, & indistincte solutus sit princeps, vt interpretes nonnulli opinantur: sed quod aliquibus sane talibus; iisque paucioribus; solutus sit, veruntamen κατά τι, suo modo, ac in vero sensu, non simpliciter & quauis consideratione seu respectu, non quouis modo ac sensu, non sine omni distinctione.

Atqui Maiestatis veræ potestas (obieceris) omnino absoluta est: eiusque inter alia proprium, legibus ciuilibus, ac scriptis omnibus simpliciter & indistincte solutum esse; adeoque leges omnibus dare, nullas à quoquam accipere vel admittere, nec suis, nec aliorum legibus subesse. Respond. quid est τὸ ἐν ἀρχῇ αἰτεῖν, principium petere (vt vulgo in scholis loquimur) quæstionem dubiam per semetipsam probare, seu indubitatam reddere velle, si hoc non est? Sane id, quod in quæstione est, minime probat quæstionem. Illud sentiunt illi: aliud alii.

Neque vlla vllius hominis aut principis Maiestas vel potestas in Republic. vel imperio legitimo-

molaudeque digno sic absoluta esse debet aut potest, vt simpliciter ac proprie vel omnimodo legibus Reipub. seu ciuitatis soluta sit. Eiusdem ponderis altera quoque obiectio est (nempe quod Maiestas sit potestas Reipub. suprema, perpetua, legibusque soluta: item quod talis potestas seu Maiestas sit forma Principis.) Omnino enim pernegatur istud antecedentis membrum, LEGIBVS SOLVTA: & rursus est mera hic petitio principii, ac quæstionis per se ipsam probatio.

Male ergo isti, qui principem omnibus indistincte legibus ciuilibus solutum pronunciant. Quidam etiam ante Augustum, & ante legem Regiam (inquiunt) soluti legibus fuerunt (vt Pompeius per legem Gabiniam, cum extra ordinem datum ei esset imperium in annos quinque, vt aduersus Piratas bellum gereret, Plutarcho teste) non tamen omnibus, nec in perpetuum, sed aliquibus, & ad tempus soluti. At vero princeps simpliciter omnibus, & in perpetuum. Hæc illi, principium petentes, quæstionemque per se ipsam probantes. Verum olim id secus erat. Romulus enim ac prisci Reges isti legibus ciuilibus soluti non erant, *teste Connano l. comment. 12. & 16.* Quin & Augustus Imperator, & Tiberius, & alii, non omnibus legibus ciuilibus soluti fuerunt, sicut non tantum in genere ex supra citato legis Imper.j monumento, sed in specie quoque ex eo patet, quod Augustus solenniter à Senatu petiit, vt Liuia coniux lege Voconia solueretur, Tiberius vero, vt liberi sui legibus Annariis soluerentur, teste Dione, præstantissimus Gothofr. *ad l. 4. C. ad l. Falcid.* quin & ex eo, quod populus sub Imperatorib potestatem legis cōdendæ diutissime retinuit: imo quod imperatores suum inter Senatores & consules nomen profitebātur, ac subinde Orationibus per Candidatos, in senatu recitatis à senatoribus contendebant ac persuadebant

bant, vt hi ſenatuſconſulto firmarent, quod illi volebant: quarum orationum exempla quam plurimâ paſſim in legibus obuia ſunt. Inuerecundus Imperator, qui non veretur Senatus reprehenſionem, cuius ipſe pars eſt, ait *l. quiſque in princ. C. ad l. Iul. Maieſt. & l. ius Senatorum. C. de dignit.* qui nō reuereretur autoritatem ſenatus, qui non curiam ſuam ait, *l. 5. C. de dign.* quadantenus & ex eo, quod populus, & familiæ, præſertim nobiles, conſuetudines & pacta quædam introducere: comites vero duces, municipia, ciuitates, ſtatuta & leges ſcriptas, Imperatoris conſenſu non requiſito, condere poſſunt, *teſte Bologn. Schr. Coler. Albe. de Roſat. Seb. Medic. & aliis.*

Sed videamus ſane & ex ſupra dictis repetamus; qualis nam iſte, quamque monſtroſus, futurus eſſet princeps, qui abſoluta iſta Maieſtate præditus, pro libero arbitrij ſui beneplacito imperaret, atque omnibus ciuilibus legibus ſimpliciter, abſolute, omnimodo, & indiſtincte ſolutus foret. Talis nimirum, qui pro lubitu ſuo quaslibet aliis leges daret: nullas à quoquam acciperet, legibus nullis viueret, nullis vllius hominis, ac ne ſuis ipſius quidem, legibus obſtrictus eſſet: qui leges Reipub. omnes in poteſtate ſuâ haberet: qui ea, quæ iure facta non ſunt, confirmare poſſet: qui non teneretur leges neceſſarias ferre, nec latas cuſtodire, & interpretari, nec corrigere cum opus eſt, aut mutare vel abrogare, cum opus: nec ſubditos ad obſeruantiam earum adigere: nec ſontes punire, ac bene meritos præmiis afficere: non teneretur, inquam: quandoquidem omnia & ſingula iſta pro beneplacito arbitrii ſui liberrime vel facere vel omittere poſſet: quippe leges neceſſarias vel ferre, vel non ferre, mutandas, corrigendas, obrogandas, derogandas, abrogādas, mutare vel nō mutare, corrigere vel nō corrigere, abrogare vel nō abrogare, cuſtodire, vel nōn cuſtodire, recte interpretari; vel ſiniſtre; & ita

deinceps. Qualisnam, quâque prodigiosa & execranda, hæc & anarchia & tyrannis futura esset?

Iura certe & leges semel receptæ, præsertim ciuiles (naturales omnino non mutantur) haud facile à quoquam mutari debent, *l.2. de constitut. princ.* Leges Reipub. ad ipsum ipsius Imperij statum pertinentes, leges patrias, statas, fixas, perpetuas, aliasque vtiles ac salutares, Princeps verus mutare nec debet nec potest: imo nullas temere mutabit, nisi grauis atque euidens subsit caussa. Ea vero si subsit, necessario ac mature & prouide mutabit. Si res moram ferre poterit, leges pristinas, correctione vel mutatione egentes non nisi admodum lente ac circumspecte mutabit, ac paulatim inflectet: ne subita mutatio fiat suspecta vel periculosa: ne violenta ciuitatis commotio, Magistratus ipsos Sellis ac tribunalibus suis excutiat. In tantis enim rebus locum habet istud. *Sat cito, si bene sat.* Facilius enim est, vrbem nouam nouis instruere legibus, quam in pridem constituta ciuium animos à pristinis legibus abstrahere: quoniam nouæ leges ægrius semen aliquod concipiunt, pristinæ vero radicem ac fructum iam pridem exhibuerunt, sicut eleganter *4. Polit. 5. Aristoteles.*

Stultissimus ergo & iniquissimus erit Imperator, qui simul ac semel seu omnes, seu plerasque omnes maiorum leges ac mores vel mutabit, ne dum penitus abrogabit. At vero leges ac mores isti vt plurimum sunt ciuiles: & in recte constituta Repub. non minus suæ sunt Imperanti, quã obtemperanti. Quare princeps non habet mere absolutam in leges ciuiles potestatem, nec omnimodo, & indistincte legibus solutus est: quia leges patrias mutare non debet, nisi grauissima de caussa: nisi ratione recta & vtilitate publica id omnino flagitante.

Quin etiam non omnib. subditis aut ciuitatibus, vel

vel principatibus, nec semper & absolute, leges pro lubitu dare, vel adimere, mutare, obrogare vel abrogare potest Imperator, nisi tyrannicus. Singulis Imperij ordinib. suas leges patrias, suos mores, sua priuilegia & immunitates, sartas rectas relinquere cogitur. Duces, comites, ciuitates Imperiales, suas sibi leges ferre, sua sibi statuta condere, consuetudines nouas introducere, patitur.

Deinde singulas politiæ leges, etiam mere ciuiles, non minus quam singulos ciues, custodire tenetur: ergo & legibus ipsis singulis, & ciuibus itidem, tum quoad ipsosmet, tum quo ad leges singulas, obstrictus est, non igitur omnimodo solutus.

Sed, vt alias quoque rationes conferamus, si lex ciuilis est anima ciuitatis, vt profecto est: certe caput ciuitatis, Princeps videl. legibus ciuitatis, ac præsertim ciuilibus, neutiquam solutus esse potest aut debet. Ciuitas enim Atheniensis, Romana, Cretensis, quatenus Atheniensis, Rom. Cretensis est, præcipue seruatur, & continetur legibus Atheniensium, Cretensium, ciuilibus; atq; his ipsis ab aliis quoq; dignoscitur ac discriminatur: naturales enim & gētium leges in omnib. ciuitatibus, ac Reb. publicis peræq; valent. Itaq; nil periculosius in politia fingi potest, quā si anima, si cor, si caput politiæ, nimirum Imperator, bonis ac salubribus Reipublicæ medicamentis non præseruetur, non bene curetur.

Talia vero medicamenta sunt leges, ac præsertim ciuiles. Qui sine lege viuit, sine ratione ac sine ordine vivit, etiam in mere ciuilibus. Quid enim est lex ciuilis stricte proprieque sumpta, nisi rationis rectæ in mere ciuilibus præscriptum? Sunt enim naturales quoque & gentium leges in Repub. Romana ciuiles: quoniam à ciuitate Romana receptæ, confirmatæ: sed ciuiles in genere, non in specie ac proprie. Illis nullo modo solutus est princeps (quantumuis

ſuo modo ciuiles ſint) his nullo modo ſimpliciter & indiſtincte, ſed aliquibus tantum & κα]ά]ι.

Nulla ergo eſt vera rectæ Reipub. forma, *Ariſtotele 3. & 4. polit. teſte*, vbi homo ſine lege imperat, & præſertim ſine lege ciuili. Naturæ namque & gentium leges, generales & vniuerſales ſunt, non huic aut illi, non vni ſoli, ſed omnibus Rebus publicis communes. Aſt ſingulæ Reſpublicæ legibus ciuilibus potiſſimum reguntur, conſeruantur, ab aliis diſcriminãtur. Proinde ciuilibus legibus præcipue ſubiectus eſt Princeps. Lex namque eſt vniuerſis ac ſingulis conueniens recte viuendi norma.

Atqui & princeps recte viuere debet, ac præſertim ciuiliter. Ergo & ſecundum legum ciuilium normam.

Princeps contra ciuiles rationes peccare poteſt: Ergo & contra leges in Republ. ciuiles. Proinde ſubeſt rationibus ac legibus ciuilibus; niſi Rempub. euertere velit: quod enim contra leges ciuiles pugnat, id Rempub. labefactat, & tandem deſtruit. Certe quoties delinquit, contra leges delinquit: nam vbi non eſt lex, ibi nec tranſgreſſio legis, hoc eſt, peccatum. Si vero contra leges delinquit, quoties delinquit: certe legibus obligatus eſt. Princeps vero non deſtructor, ſed conſeruator Reipub, imo pater patriæ ac Reipub. eſſe debet.

Proinde ipſamet ciuilis ratio, ac ciuitatis conſtitutio, ſalus populi, & Reipublicę incolumitas ac tranquillitas, principem ſimpliciter & indiſtincte legibus ſolutum haud ferunt.

Cæterum & ex lege conſcientiæ ciuilibus ſubiectus eſt legibus: quippe lex conſcientiæ non tantum continet ac vindicat legem naturæ ac gentium, non tantum legem vniuerſalem: ſed particularium quoque & ciuilium, etiam mere ciuilium, legum normam

mam continet: etiam particulares ac specialissimas leges dirigit, corrigit, stabilit, mutari vel tolli præcipit:. veteres seu priores aboleri, si abolendæ sunt, præscribit, easdem retineri, mutari, corrigi, nouas ferri, præcipit, quoties opus est; idque semper iustitia & rectæ rationis prudentia duce. Lex conscientiæ non eos tantum arguit, & condemnat, qui contra naturæ aut gentium leges delinquunt, sed eos etiam, qui contra mere ciuiles, iustas tamen ac Reipublicæ salutares.

Conscientiæ forũ non tantum naturales leges, & actiones ijs præscriptas, quin & personas iis obligatas, sed pariter ciuiles quoque, concernit ac regit: nec προσωποληψίαν vllam admittit, sed principem iisdem omnino legibus obstringit, quas ille ciuibus suis præscribit. Lex enim conscientiæ perpetua est, eaque tum in genere, tum in specie & indiuiduis constantissima. Quod tibi vis fieri, id & alteri feceris: quod non tibi, id ne alteri: Item turpe est doctori, çum culpa redarguit ipsum: turpe, in alio quid culpare, & in eodem culpabilem esse. Lex conscientiæ est illa quidem vniuersalis in propositione syllogismi, si in Syllogismum redigatur. Sed in assumptione & conclusione istam vniuersalitatem ad specialia, & ad certam personam hominis, seu Principis, seu alterius, accommodat; vt. Qui leges bonas fert aliis, iisdem parere debet, aut eas aliis non præscribere; Princeps leges fert aliis; ergo iisdem parere debet, aut eas aliis non præscribere: quicunque demum iste seu in genere, seu in specie sit Princeps. Conscientia singulas singulorum hominum actiones & facta ad legum non tantum naturalium & gentilium, sed omnino ciuilium quoque (si honestæ & vtiles sunt) normam examinat, probat, condemnat.

Deus enim, cui omnes, & homines & hominum

actiones Imperia, Respublicæ, ciuitates, subiectæ sunt, in conscientia hominis tribunal suum erexit, probans probanda, improbans improbanda: idque sine vllo personæ, seu principis, seu alterius, respectu.

Quod in bubulco vel probat vel improbat: id pariter & in Principe: sic tamen, vt singuli suum vitæ institutum, suas partes, suumque officium exequantur. Proinde conscientia etiam in ciuili vita, legibus ciuilibus, honestis scilicet ac vtilibus, omnino obstringit principem, iubet, vetat, arguit, damnat, castigat, flagellat Principem, non minus quam priuatum.

Sane ex rationis rectæ & conscientiæ sanæ dictamine omnes omnino leges veræ ac iustæ, præsertim vero ciuiles, proficiscuntur. Rationi autem rectæ, & conscientiæ sanæ canoni seu regulæ, omnes omnino subsunt homines: ergo & legibus, præsertim ciuilibus: quin & virtutibus singulis omnes subsunt homines.

Leges autem, etiam ciuiles, præcipiunt virtutes, ac virtutibus consentaneas actiones: secus leges non erunt: leges honestarum actionum & virtutum omnium meta sunt: quam si transgredi liceat principi, vtique hoc ipsi agere licebit, quod rationi, quod conscientiæ, quod honestati, quod denique virtuti repugnat. Vt enim intra metam à legibus præscriptum omnia sunt honesta: ita extra eandem omnia honestati repugnant: præscriptam à legibus; dico: nempe tam ciuilibus, quam naturalibus aut gentilibus: siue sint ciuiles laxius acceptæ, sub quibus & prætoriæ, siue specialius sumptæ, & his oppositæ.

Sunt enim in ciuitate Romana leges naturæ, gentium, ciuiles, prætoriæ: ciuiles, aut mere ciuiles,

aut

aut non mere. Quoad mere ciuiles; si quid stipulatus est, si verbis, si literis se obligauit princeps: ciuiliter se obligauit: ideoque ciuiliter obligatus est, etiam de necessitate iuris. Proinde & in mere ciuilibus ciuiliter obligatur. Varia quandoque promittit subditis princeps; iubet hæc vel illa à se petere subditum: atque ita suis certe legibus, vel mandatis ac promissis tanquam legibus, sæpius ciuiliter se obstringit subditis: ac subditos sibi.

Porro, ne in istis prolixior sim, cur princeps certa quædam habet priuilegia & Regalia (quæ certe mere ciuilia sunt) si legibus ciuilibus omnino solutus est: quippe priuilegia habet, hoc est, exceptiones à communi regula: ergo in aliis, præter exceptiones istas, regulæ subiacet: in ijs nimirum, quæ ad ipsius personam aut proprie, aut analogicῶs accommodari possunt, non autem in iis, quæ non possunt, vel quæ rite priuilegiata habet. In his enim solis, legibus solutus est, nempe quæ nec proprie ac diserte, nec analogicῶς ad ipsius personam accommodari possunt, deinde & in his quæ recte ac merito priuilegiata habet.

Similiter lex Regia, quæ toties ab adulatoribus ad thronum Imperatoris aut Regis decantatur, nonne ciuilis est? nonne huic Imperator; quandoquidem ipsi favet, eumque ferme DEVM facit; subiectus esse cupit? Et tamen huius ipsius legis Regiæ supra citatum; quod etiamnum Romæ visitur; monumentum, nec omnes Principes, sed certos & pauculos, (Iulium Cæsarem, Augustum, Tiberium, Claudium Germanicum, & Vespasianum) nec legibus simpliciter ac indistincte omnibus, sed certis quibusdam, & κατά τι, solutos pronunciat.

Et iis certe legibus, quibus si princeps eas negligeret, publicum bonum offenderetur aut impediretur, vel ipsa communis ciuium societas læderetur, aut scandalum pateretur, principem quemcunque teneri, iura omnia prorsus flagitant, *Corras. 2. Misc. 35. num. 5.* Et vt maxime cæteris plerisque solutus sit Princeps: quis eum legibus ad ipsum ipsius Imperii statum pertinentibus, quippe ciuilibus, solutum dixerit? vt recte Dn. Vult. *supra d. loco.* Imo acutissimus Cuiatius, 15. *obser. 30. circ. med. & in recit. ad l. 5. col 9. 10. de iust. & iur.* interpretatus verba illa legis. 1. *de constit. prin.* Populus ei, & in eū, omne suum Imperium &c. concludit Principem suis teneri legibus, perinde ac suis etiam legibus populus tenebatur.

Non possunt (inquit) aliud ea verba (populus ei, & in eum) significare, quam populum in vicem suam creasse regem, vt subiret vicem populi, vt pateretur, & ageret, quæ populus. Nam vt populi, ita regni sunt onera quædam. Ita *in l. 1. ad Senatuscons. Trebell.* dicit, *ex Senatuscons. Trebell.* ei & in eum actiones transire, id est, actiones actiuas & passiuas. Et in leg. receptum, de iurisdict. ei & in eum ius dici posse, qui se subiecit iurisdictioni alterius, id est, absolui eum posse, vel etiam damnari, vinci, vel vincere iudicio, & mox ibid.

Non est igitur solutus legibus, quia non agit tantum, sed etiam patitur, vt & populus, quod cuique bonum & æquum est. Hæc Cuiatius *d. col. 9. & 10.* Idem Cuiac. *in Recitatio. ad. t. C. de testament. colum. vlt.* Nec vero vnquam dicam, generaliter esse verum, quod ait lex Princeps; cum id tantum sit accipiendum specialiter de lege Iulia & Papia, non de legibus omnibus.

Atque

Atque hac ipsa certe ratione mirifice inter se devinciuntur, Principis ac subditorum animi. Contra vero, si Princeps legibus ciuilibus omnibus simpliciter & indistincte solutus sit, subditorum (vt quibus nō admodum obstrictus) haud magnam curam geret: ac viciſſim subditi pro amore, quo complecti ipsum debebant, odium concipient. Si Principem omnibus simpliciter legibus ciuilibus soluamus, patentiſſimam ei ad omnem tyrannidem fenestrā aperiemus: & animum ipsius quantumuis ingenuum ad turpia & illicita quæq; pro libidine contra leges tentanda; Subditos vero ad inobedientiam, ad tumultus, ad seditiones, ad fremitus contra Principem, incitabimus, vel saltem occasionem promptiſſimam præbebimus: Atq; ita & tyrānidis quoad Principem, & seditionis ac rebellionis quoad subditos, fœcundiſſima parens est, ista omnium legum indistincta solutio.

Imo & adulatoribus viam ad Principes peruertendos planiſſimam aperit. Aſſentatores enim isto prætextu principibus facile persuadent, Omnia ipsis licere, & hoc ipsum ita iure cautum esse. Atque hoc modo fit, vt naturæ interdum etiam optimę in principibus ad omnem libidinem, atque exinde ad tyrannidē, & omne dedecus præcipites ferantur: de quo conqueritur *Coras. 2. Misc. vlt. & Viglius §. fi. quibus modis testamenta infirm. Du. Vult. ad §. 7. num. 7. comment. Instit. de iust. & iur.* Ad hæc Princeps aut legibus simpliciter omnibus solutus non est, aut, si reuera solutus, ob tyrannidem, quantumuis enormem, occidi non poterit. At vero tyrannum, seu Principem plane tyrannicum, occidere licet: Ita Romani Neronem, & alios Imperatores peruersos (vt supra) hostes Reipub. iudicarunt, ac more maiorum trucidandos pronunciarunt: quin & memoriam talium iam demortuorum ignominia perpetua notarunt, itaque

Princeps legibus ſimpliciter omnibus ſolutus non eſt, Id, quod & mutua mutuæ relationis analogia euincit.

Ciues iuxta leges viuere ac principi in omnibus iuxta leges obtemperare debent. Ergo princeps quoque in omnibus iuxta leges eos regere, & imperare; Si vera in imperio imperandi & obtemperandi harmonia, verus vtrinque amor, concordia, publica vtilitas, & tranquillitas conſtare debet.

Porro ſi ex poteſtatis plenitudine Princeps bona ſubditis auferre, vel vlli homini, etiã priuato, inuito ius ſuum adimere, nequit: vt certe nequit; verum profecto non eſt, legibus eum ſolutum eſſe: Secus enim bona ipſis pro lubitu arbitrii ſui auferre, & ius adimere poſſet.

Quin & propter exemplum princeps legibus ſe ſubmittere debet: vt nimirum ſubditi præclarum eius exemplum imitentur. Nam qualis rex, talis grex. Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Et hinc optimi ac piiſſimi quiq; Principes & Imperatores vltro ac libenter ſeſe legibus ciuilibus ſubiecerunt: adeoque & ſolennitatibus iuris (de quo infra plenius) quippe propter cõſcientiã, rationis rectæ præſcriptum, & exemplum ſubditis imitandum. Eleganter enim Claudianus:

In commune iubes ſi quid, cenſesve tenendum
Primus iuſſa ſibi, tunc obſeruantior æqui
Fit populus, nec ferre vetat, cum viderit ipſum
Autorem parere ſibi, &c.

Quin etiam de eo ipſo Principes iſti gloriati fuerunt: idipſum ſibi glorioſum dixerunt: nempe quod ſe ac principatum ſuum legibus ſubmiſiſſent. Itaque

Imperatores veri ac pii, ipsimet quoque improbant istud Vlpiani, principem legibus solutum esse: idque adeo quidem, vt non tantum iure ac legibus, sed & solennitatibus iuris quandoque soluti esse nolint, *l. ex imperfecto. 3. Cod. de testamentis.* Nec sine causa.

Recte namque Apollonius Thyaneus ad Domitianum Imperator. teste Philostrato, *libro octauo*, Si leges tibi imperare non putaueris, ipsemet recte non imperabis. Et reuera maius imperio est, principem legibus submittere principatum, ait optimus Imperator Theodosius, *in lege quarta. Cod. de legibus.*

Ac certe aut rectum iustumque est, principem legibus solutum viuere; proinde & legibus solutum esse: aut non est. Si rectum: pessime fecerunt optimi quique Principes, quod legibus se subiecerunt.

At vero optime fecerunt ac piissime, quod sese legibus submiserint, de quo inf. ergo rectum iustumq; non est, principem legibus solutum viuere; adeoque & legibus solutum esse.

Atque hic notandum sane, quod præstantissimus Baro ad sæpe dict. l. princeps, litera i. k. admonuit. Sed Principes (ait) memores se homines esse, etsi legibus, inquiunt, soluti sumus, legibus tamen viuere volumus.

Hoc enim & populus, qui legem iussit regiam, voluit, vt principes sponte sua leges paterentur & obseruarent, quas ipsi constituerunt, vel quas bonas esse putarent: Sponte, inquit: & hoc ipsum mox explicat: nam principes (ait) vi ad hoc adigi indignum existimauit populus, quippe cum Principes sint, vel esse debeant, iustissimi. Sic enim lex, inquit diuina sapientia, non est iusto posita, Et ibid, optimi Principes

Theo-

Theodosius & Valentinianus imperium legibus parere voluerunt, eo quod ex legibus penderet. Hæc Baro. Et sane cum princeps sit viua lex, qui fieri possit, vt ipse, Principis veri appellatione ac dignitate retenta, leges non seruet, aut contra leges agat, *Oldend. ad t. de orig. iur.*

Præsertim vero cum legibus ciuilibus ipsimet vltro sese obstrinxerint in iure nostro: cumque hanc ipsam legem ipsimet sibi posuerint. Nihil tam proprium imperii, quam legibus Principem viuere, ait Imperator *in d. l. 3. C. de testam.* Princeps est alligatus legibus, *l. 4. C. de ll.* Et Principem legibus esse solutum, est vox indigna maiestate regnantis, *ibid. l. 23. de legatis 3.* decet tantam maiestatem seruare leges, &c. Paul. *4. sentent. 5. §. 3.* Eum qui leges facit, pari maiestate legibus obtemperare conuenit. Hodie sane prudentissime passim constitutum est, vt Principes statim initio imperii sui populo iurent in leges Reip. Ideoque tantum abest, vt legibus soluti sint, vt quam maxime obstringantur legibus politiæ ex suo iureiurando, ait Cuiacius *in recit. ad tit. C. de testam. col. 19. & in recit. ad l. 5. colum. 11. de iust. & iur.* Hodie (ait) Principes non sunt soluti legibus, quod est certissimum, quoniam iurant in leges patrias, in quas olim non iurabant. Ita Galli suas habent leges Salicas: Germani auream Bullam, & constitutiones nonnullas: alii alias leges: non tantum ducibus, & comitibus, sed regibus quoque & Imperatoribus, vt eas obseruent, præscriptas: & hoc adeo quidem, vt, si eas non obseruent, sed enormius aduersum ipsas peccent, de regni quandoq; & imperii sui throno deturbari possint. Sic enim Wenceslaum imperatorem ab imperio remouerunt Electores, Volateranus, *lib. 23.* Bapt. Egnat. Ioan. Cuspinian. *in Vitis Imperator.* & olim à senatu Romano sæpe Imperatores sunt hostes iudicati, *Suet. in Ner.* & alibi: de quo supra quoque dictum.

Cæterum

Cæterum tantum abeſt, vt Princeps legibus ſimpliciter & indiſtinctè omnibus à populo ſolutus olim fuerit, vt expreſſe ſolis ſolennibus iuris per legem imperii ſolutus dicatur *in l.3.C.de teſtam.* imo vero & his quoq; non omnibus; adeo quidem, vt multis etiam ſolennibus ac mere ciuilibus ſolutus non fuerit; imò nominatim & expreſſe ligatus: quippe non fuit ſolutus lege Falcidia, *l.4. C. ad legem Falcid.* nec lege Glicia, *l.8.§.2.de inoffic.teſtam.* nec lege Voconia: qua de cauſa veniam legis Voconiæ Auguſtus à ſenatu petit apud Dionem: nec Annariis legibus: qua de cauſa Tiberius veniam earum itidem à ſenatu petiit, vt ſupra, vide Cuiac. *15.obſeruat. 30. Dn. Gothofr. ad d.l. 4*: Sed & pleriſque aliis (ait ibidem Cuiacius) Principes ſoluti non erant legibus, licet imperii initio non iuraſſent in leges: & multo minus, ſi iuraſſent. Quin imo vt populus ipſe ſuis legib. tenebatur: ita & princeps, cui & in quem populus omne ſuum imperium cōtulerat; adeo vt poteſtas Principis & in ipſum Principem eſſet, *l.4.C.de legibus.* Hæc Cuiacius. Deniq; virtutes Ethicæ & Politicæ, & inprimis iuſtitia, & rationis rectæ prudentia, non tantum priuatos ligant, ſed & inprimis Principes. Et lex conſcientiæ ius naturæ à Deo mentibus noſtris impreſſum cuſtodit: ſed iura ciuilia regit, dirigit, corrigit, & ea, ſi legitima ſunt, riteque lata, non minus vni quam alteri, nō minus Principi quam ſubditis, ſed omnibus in eadem Rep. degentibus pariter iniungit, omnes pariter obſtringit, προσωποληψίαν nullā prorſus admittit: aut ſi quā admittit, certe non aliam, niſi eum, quę à principe certe plus pietatis, iuſtitiæ, & æquitatis, veritatis, fidei, bonitatis, &c. quam à ſubditis, requirit. Atq; hæ ſunt prçcipuæ rationes, ārgumēta & teſtimonia, quibus ſatis ſuperq; euincitur, Principem legibus omnibus ſolutum non eſſe, multo minus legib. omnibus ſimpliciter, abſolute & indiſtinctè. Nunc aduerſæ

quoq;

quoq: partis obiectiones & rationes potissimas dispiciamus. Princeps (aiunt) omnib. imperii sui ciuibus ac subditis ciuiliter imperat, legesq; fert. Ergo ipse legibus ciuilibus omnibus solutus est Resp. Ipse omnibus imperat: sed secundum communes ipsius politiæ leges, secūdum rationem rectam, legem conscientiæ, vtilitatem publicam: Si secus faxit, non imperat vt verus Princeps, sed anarchiam vel tyrannidem exercet, vt tyrannus. Nec sequitur: omnibus Reip. ciuibus imperat. ergo omnibus Reip. legibus solutus est, aut esse debet. Imo si vere ac recte, vt verū principem decet, imperat, secundum leges (quippe honestas) ritè latas, vtiles, adhuc vsitatas) imperat: ac retrorsum, si non secundum leges imperat, non imperat, vt verum Principem decet. Nec sequitur. Leges fert aliis omnibus. ergo ipse legibus omnibus solutus est. Imo verò, quia leges fert aliis, eo ipso legibus ipsę quoque se adstringit, si modo vir bonus est, aut esse cupit. Nam quod tibi vis fieri, &c. Turpe est doctori, &c. quin imo nec sequitur: legibus omnibus solutus est (quod tamen falsum) ergo legibus omnibus simpliciter, in genere, absolute, indistincte solutus.

Eiusdem ponderis & hoc est: Principi nemo ciuiliter imperat: nemo mādat: nemo leges præscribit, quę ipsum obligent: Princeps nemini obtemperare tenetur. Resp. Imo vero principi bono, bonō, inquam, ac vero iustoque Principi, nemo imperat, nisi ratio recta nisi virtus, nisi iustitia, nisi leges communes istius, in qua degit, politiæ: nemo, nisi lex conscientiæ, quæ ipsum arctissime obstringit etiā ad particulares leges ciuiles, quæcunq; ad ipsius personā vllo modo, vllave analogia accōmodari possunt: lex, inquam, conscientiæ: Quod tibi fieri vis, id alteri feceris: quod non tibi, id ne alteri Item turpe est Doctori, cum culpa redarguit ipsum: nil denique ei obstat, nisi ratio officii ac personæ, quam sustinet: quæ flagitat, vt in omnibus

bonō

bono exemplo præeat ciuibus ac ſubditis ſuis. *Ex l. 12. tabul. Cic. 3. de legibus*, Is ordo (magiſtratuum ac ſenatus) vitio vacato: cæteris ſpecimen eſto; *cauſa 11. quæſtio. 3. can. ſummopere. 70.* iudex nō ſecundum voluntatem propriam, ſed ſecundum leges ſententiam feret; *cauſa 3. quæſtio. 7. can. 6. 7.* ex D. Auguſtino ac Beda, verum iudicium eſt iudicare prius conſcientiam propriam: demum culpā alienam. Poſtremo principi nemo imperat, niſi Deus; etiam in ciuilibus negociis ac iudiciis. Inter homines Chriſtianos, qui Deum tanquam ipſam & ſupremam iuſtitiam recognoſcunt, ius omne, legesq; omnes, non tantū naturæ ac gentium, ſed ciuiles quoq; à Deo ac lege Dei pendent: Deus enim ex iuris & iuſtitiæ, & imperii & reip. quin & hominis ipſius, autor & conſeruator eſt, *Deut. 16. Verſic. 17. 18.* iuſto ac ſincero iudicio iudicate populum: ne reſpectum perſonæ habeatis in vllo iudicio: æque paruum ac magnum auditote, nec metuite à quoquam: nam iudicium Dei ipſius eſt, *2. Chronic. 19. Verſ. 16.* Ioſaphat exhortatur iudices: videte, quid agatis: iudicia enim exercetis non hominibus, ſed Deo: & is vobiſcum eſt in iudicio: Ergo timētes Dei eſtote: qui perſonas nō reſpectat, nec munera acceptat: apud quem nulla eſt iniquitas.

Leuit. 19. verſic. 15. In iuſticia iudicabis proximum tuum. *Deuter. 16. Verſ. 19. 20. & 25. verſic. 1. Exod. 23. verſic. 7.* Iuſtitiam ipſam diligenter ſectare, vt viuas & poſſideas terram, &c. Iuſtum pronunciato eum, qui iuſtus eſt, & improbum, qui improbus. Inſtant illi. Principi nemo leges ciuiles præſcribit, Princeps ſibimet ipſi imperare, *l. penul. de arbitr.* ſibimet ipſi obtemperare, ſibi ipſi manus ligare, ſeipſum coercere ac punire non poteſt. Ergo. Reſpondeo: Imo ipſemet ſibi præſcribit leges, eo ipſo dum aliis præſcribit, ſecundum communia illa & maxime naturalia principia practica, quod tibi fieri vis, &c. Tempo

est Doctori,&c.Proinde ipsius naturæ; itemque conscientiæ, monitu & instinctu Princeps quas aliis præscribit leges, has ipse quoque seruare, aliisq; bono exemplo prelucere debet, quatenus vllo modo vlla ve analogia ad ipsius personam accommodari possunt: nisi forte iusto quodam liberatus sit priuilegio, iusta-ve causa excusetur, sine culpa sua impediatur, &c. Deinde & expresso ciuili actu ac diserta legumlatione potest quis sibi ipsi leges ac conditiones præscribere. Ita Carolus Quartus Imper. non tantum aliis; sed sibi ipsi quoque leges præscripsit. Ita & hodie Imperatores, ac status imperii in comitiis, in ordinationibus, recessibus, constitutionibus imperii. Populus Romanus (penes quem tamen omnimoda tunc & absolutissima quasi Maiestas erat) quondã sibi ipsi ferebat leges. Et quænam istliæc consequentia est. Princeps sibi ipsi imperare, vel obtemperare nequit; ergo legibus ciuilibus omnibus simpliciter & indistincte solutus est. Atqui seipsum punire nequit ciuiliter: Pungit ergo ac punit eum conscientia sauciata & irrequieta: punit eum DEVS hoc aut illo morbo, bello, captiuitate, aliove infortunio. Populus etiam rebellis ac seditiosus eum quandoque punit vel occidit, si legibus nimium solutus esse velit. Summa est: Princeps legibus ciuilibus obedientiam debet (ratione conscientiæ, rationis rectæ, iustitiæ, ratione officii sui, ratione exempli) non minus quã populus: debet, inquam: licet populus ei & obedientiam & pœnam remittat, vel punire non queat. Eodem & istud spectat. Princeps sceleratus à nemine accusatur, cõdemnatur, plectitur, nisi à conscientia sua, nec alibi quã in foro conscientiæ, & in cõscientia ipsa: nullius testimonio conuincitur, nisi conscientiæ suę, &c. ergo. Respond. Nulla hæc quoque consequentia est. Princeps à nemine accusatur, damnatur, &c nisi à conscientia sua, ergo legibus ciuilibus omnibus simpliciter & indistincte solu-

solutus est. Deinde quid si alius ipso potentior princeps, aut hostis, quid si rebelles eius subditi; ita in Germania nostra quid si Electores & vniuersi imperii ordines ac status summū principem accusent, &c? Sic enim & Wenceslaum Imper. ab imperio remouerunt, vt supra. Denique nonne hoc ipsum sententiam nostram mire confirmat, quod nec vllus princeps, nec vllus omnino mortalium nascatur & viuat, quem non sua ipsius conscientia etiam in hac ciuili vita societateque politica, in ciuilibus quibuscunque negotiis adstringat & alliget legibus ciuilibus (honestis videlicet atque vtilibus) earumque cultui & obsequio; idque adeo quidem, vt legibus ciuilibus obsequi reluctantem pungat etiam, trudat, stimulet, accuset, angat, excruciet, condemnet, iugulet? Proinde legibus ciuilibus; præsertim omnibus & indistincte; princeps solutus non est. Lex conscientiæ ab omnibus omnino mortalibus flagitat, non tantum obsequi ac parere legi naturę aut gentium, sed legibus quoq; ciuilibus, honestis videlicet, rite latis, vtilibus, & in vigore suo permanentibus. Lex conscientię non eas tantū arguit & cōdemnat, qui contra naturæ aut gentium leges, sed eos etiam, qui contra mere ciuiles, iustas tamen ac Reipubl. salutares, delinquunt.

Sed nonne absurdum est Principem talibus subiicere legibus, nempe ciuilibus, quas ipse omnes ac singulas in sua, eaque plena, potestate habet? quas ferre, mutare, corrigere, obrogare, derogare, subrogare, abrogare, quotiescunque lubet, potest? Respond. habet plenam earum mutandarum potestatem, sed tum demum, si in eas, vt fieri solet, non iurauerit. 2. Si ad ipsum ipsius imperii statum non pertineant. 3. si grauis, iusta & necessaria mutationis causa sit: leges enim non facile mutandæ, vt supra. 4. nec quaslibet ferre, nec quaslibet mutare, vel abrogare potest: sed iustas, vtiles, ac necessarias ferre; non necessarias, ini-

E quas,

quas,inutiles,mutare vel abrogare poteſt. Habet ergo plenam poteſtatem in nõnullis,ſed ſecundum iuſtitiam & rationem rectam,ſecundum legem naturæ & conſcientiæ, ſecundum principia practica, iuxta naturalem naturalis æquitatis normam, iuxta communes,ſtatas, fixas,patrias ciuitatis leges, populique naturam,ingenium,&mores. Non enim cuilibet populo, non quibuslibet ingeniis ac moribus,quælibet leges ciuiles conueniunt.

Atqui principes hac ratione & ipſi fuerint ſubditi? quod abſurdum. Reſpond. Non hominum ſubditi, ſed legum,quæ omnino diuinum quiddam ſunt,ſed ordinis & εὐταξίας,ſed rationis rectæ,virtutis,iuſticiæ,legis naturæ, legis conſcientiæ, in qua Deus ipſe tribunal ſuum habet,vt ſupra. Principem ſane rationi rectæ,virtuti,legibus diuinum quiddam habentibus, non minus quam alios homines obtemperare, nil quidquã abſurdi eſt. Imo abſurdiſſimum ac belluinum iſtis non obtemperare, ſed affectibus & libidinibus ſuis morem gerere.

Eiuſdem momenti & illud eſt. Atqui volũtas imperatoris ſummi hac ratione ſibi ipſi ſerua erit: quod abſurdum. Reſpond. Non ſibi,ſed Deo,ſed rationi rectæ,ſed virtuti, ſed iuſticiæ, ſed legi conſcientiæ,legi naturali ac politicæ. Legum namque ſerui libenter ſumus(velut rectiſſime Tullius)vt ita vere liberi eſſe queamus. Ideoq; & optimi quique principes legibus ciuilibus ſeſe libenter ſubmiſerunt: Et quo magis pii ac vere boni,eo libentius.

Obiicitur. Atqui ſingula ferme iſta quę hacten' inculcantur & reſpondentur, nõ de Principe, de quo,an legibus ſolutus ſit,quæſtio eſt,ſed de bono. de pio,de prudente,ac ſapiente principe vera ſunt. Reſp. abſur[illegible]m vero ſit,niſi de hoc ipſo & quæramus & rediſſimu[illegible] enim bonus,pius,benignus,prudẽs, ſpõdeamus. Qu[illegible] princeps,ſed Tyrannus eſt. nõ eſt,is nequaquã verus [illegible]

Abi

Abſurdiſſimum vero ſit,cũ de Principe,eiuſq; officio, priuilegijs ac regalibus ſermo vel diſputatio eſt: ad peruerſum Principem & ad Tyrannũ omnia & quærendo & reſpondendo & argumẽtando accõmodare. Princeps ſeu Monarcha peruerſus & nequam, non eſt Princeps,ſed tyrannus. Itaque pleriq; in hac materia valde imprudẽter ſeparant Principem, ac bonũ Principem. Neq; ſane diſſerere nos decet, quid fiat in politia Romana, vel in minus legitima Reip forma, qualeſq; multi fuerint Imperatores, ſed quid in legitima Reip. forma fiat, quidq; fieri, qualeſq; Principes eſſe debeant: non quid peruerſi, arrogantes, fatui, aut imprudẽtes, ſibi ſumpſerint, vel à ſenatu populove aſtute extorſerint: ſed quid pro ipſorum virtutibus, benefactis, officio, meritis, quid pro Reip. ac ſubditorum communi cõmodo ac ſalute, illis ipſo iure conueniat: nõ quid populus aut ſenatus imprudens, vel coactus, vel circumuentus, Principi cõceſſerit: ſed quid bono, pio, & prudenti principi concedi debeat aut deberet: non quid ipſe ab imprudentibus Romanis per l. regiam, aut alia quauis ratione, oblatum acceptarit: ſed quid pro ſua pietate ac prudẽtia ad communem populi ſalutem, nõ autem priuatum honorem vel commodum acceptare debuerit.

Atqui licet pij Principes legibus ciuilibus ſe ſubmiſerint: hoc tamen non coacte, non ex neceſſitate vel obligatione, non ex debito fecerunt: ſed ſpontaneo motu & liberrima voluntate. Ergo reipſa legibus ſoluti erant. Reſpond. Imo vero Principes iſti, ſi modo veri ac boni Principes vel eſſe vel audire cupiebant, ad id faciendum obligati erant. Neque enim ſatis, aliquem eſſe Principem, niſi idem verus quoque ac bonus Princeps ſit. Princeps ex neſcio qua lége regia ſolutus legibus eſſe cupit: verus ac bonus Princeps. 1. ex conſcientia ſua. 2. ex honeſtatis publicæ. 3. ex vtilitatis ac ſalutis publicę 4. ex officii ſui 5. ex

virtutis, iusticiæ, decori, rationis rectæ, consideratione. 6. exempli publici gratia, se obstrictum legibus profitetur, ideoque & lubentissime se iis submittit: Quod, nescio quæ lex regia principi concedit & condonat, ab eo verum ac benignum principem verecundia, & penitior honestatis ac iusticiæ contemplatio abstrahit & reuocat, quippe non omne quod licet, honestum est, *l. non omne. de regul. iur.* & inuerecundum est, non decet, eas non seruare leges principem, quibus etiam solutus videtur, *l. 23. de legat. 3. confer. Dn. Vult. ad §. 7. num. 5. comment. Instit. de iur. natural. gent. &c.* Principi ergo vero ac bono maximam necessitatem, obligationem, coactionē seu debitum obtemperandi legibus imponit 1. Deus & conscientia. 2. ratio recta. 3 virtus & iusticia. 4. honestas publica 5. ratio officii ac personæ quam sustinet. 6. modestia, decorum, & verecundia. 7. salus populi & vtilitas publica. 8. propriæ ipsorum Imperatorum leges, quibus sibi hanc legem ponunt. Decet maiestatem seruare leges, *l 4. C. de legib.* Eum qui leges facit, pari maiestate legibus obtemperare conuenit, ait Paul 9. exemplum publicum. 10. conciliatio ardentioris subditorum erga principem amoris ac fidelitatis. Si namque legibus sese iisdem, quibus & populus, submittat, bonoque exemplo præluceat, longe maius subditorū erga ipsum obsequium, ac validior æmulandi amor existit, vt Corn. Tacitus ait: Et cum sit imperio maximus, exemplo adhuc maior erit, ait Vell Paterc. quia amari, diligi, & coli à subditis, maius est quam iis imperare symmacho teste. Necessitas tamen & coactio, hoc est. obligatio ista, nequaquam seruilis est, sed liberalissima talis nimirum qualem Cicero rectissime describit; legum serui (ait) libenter sumus, vt ita vere liberi esse queamus.

Atqui hoc pacto Iustiniani Imperatoris, & Vlpiani, Iurisconsultorum veterum facile coryphæi, authoritas

thoritas in Iurisprudentia Romana extenuatur. Princeps legibus solutus est, ait Vlpianus *lib. 13. ad legem Iuliam Papi.* & hoc idem ex Vlpiano Iustinianus ait, *in sæpe d.l. princeps.* Respond. Vlpianus aut non generatim locutus est vt vult Cuiacius, qui eum de legibus caducariis tantum locutum, ex coniectura maxime probabili existimat; neque enim certe dicit, vt nonnulli, princeps legibus omnibus simpliciter & indistincte solutus: Aut imperatori suo, Alexandro Seuero, apud quē in maxima erat gratia, adulatus: Iustinianus autē, hoc est, Tribonianus sub nomine ac titulo Iustiniani Imperatoris, Vlpianum sine ratione imitatus est: quippe quem non satis intellexit, aut certe non satis ad lydium veritatis politicæ lapidem ac incorruptam philosophicorum, hoc est, verorum Reip. fundamentorum normam examinauit, idque imprudenter probauit. Nec sane mirum. Iurisconsulti namque, & Impp. eos secuti, vtrique ad praxin magis intenti, à veris philosophiæ ac politicę, vt & historiarum principiis & fundamentis, vt nunc, ita olim quoque interdum exorbitant. Vnde Cuiacius & Cuiacium inter Germaniæ quidem Iurisconsultos, imitati, Dn. Wesenbecius, atque ex iis qui etiamnum superstites sunt, viri de iuris scientia optime profecto meriti, Dn. Dionys. Gothofredus, Iul. Pacius, Herman. Vulteius, Iohan. Gœddæus, Hieronym. Treutlerus, qui magno Iurisprudentiæ methodicæ conformandæ ac tractandæ incommodo ab Academiis abreptus est, non quod multa scripserit, sed quod pauca accuratissime, in quibus ex vngue leonem; hi, inquam, in primis, & alii pauci, à veris philosophiæ ac politicæ principiis & fundamentis, à veris definitionibus ac distributionibus, à vera Methodo, à veris rerum tractationibus, historiis, lectionibus, non facile certe (aut minus quam pleriq; in humanis nil omni ex parte perfectum) exorbitant: quoniam philoso-

 phicum,

phicum,politicũ,dialecticũ,linguarũ,historiarũ,studium assidue,ac diligentissime cũ iurisprudẽtia conferunt:& praxin cum theoria coniungunt, nõ autem confundunt: multa vix vtcunq; in iure vel interpretib. eius descripta accurate definiunt, multa confusa distinguunt,adeoq;multa intricata & inuoluta solerter extricant ac euoluunt. Vt ergo certus ac directus cœli motus est: & per accidens tamen aliquis indirectus trepidationis motus oritur. Ita veterũ (vt & recentiũ plerorumq;) Iurisconsultorũ & Imperatorum optimus motus & affectus est, optimæq; leges ac regulæ,in plerisq; rationi rectæ,& fundamẽtis philosophicis ac politicis pulchre consentaneæ: & tamen ab his ipsis interdũ ob rerum,actionum,factorum,casuum,circumstãtiarum, &c. mirificam perplexitatem, quasi trepidando exorbitant.Eiusdẽ cum superiorib. momenti sunt & illa:Diuus Seuerus & Antonius sæpissime rescripserunt: licet legibus solutissimus,attamen legibus viuimus, *Instit. quib. modis testamenta infirm.in fi.& l.3.C. de testam.* licet lex imperii solennibus, iuris Imperatorem soluerit, nihil tamen tam proprium imperii est quã legibus viuere.Eiusdẽ momenti,inquam.Verus enim sensus est; Licet legib.de facto,aut nescio qua lege imperii soluti simus: tamen syncero & incorrupto iure legibus soluti non sumus, 1 quia conscientia.2.iustitia legis naturæ.3.ratio recta & incorrupta.4.ratio officii.5.salus Reip. 6. proprietas imperii veri seu proprium veri Imperatoris officium.aliam legem,& à lege imperii diuersam vero pioque principi ponunt. Deinde leges istæ neutiquã dicunt,principẽ legibus omnib.simpliciter & indistincte solutum,sed legib. hoc est,solennibus iuris. Atque hac ratione neq; illud Vlpiani in princ. l.1.de constit. princ.subsistet:quod principi placuit,legis vigorẽ habet: vtpote cum lege regia, quæ de imperio eius lata est, populus ei & in eum omne suum imperium ac

pote-

potestatem contulerit. Resp. Commoda Iurisconsultorum interpretatione hoc nonnulli posse leniri existimant: nempe vt lex seu *νόμος* non intelligatur sine *λόγῳ*: & vt ita, quod principi placet, videlicet *κατὰ λόγον*, qui in principe ac principis consilio inesse præsumitur, quoniam est iustitia animata, Aristoteli 5. Ethicorum Nicom. vt hoc, inquam, legis vigorē obtineat. Quæ quidem, vt alia similis interpretatio si locum habere non queat, ista certe Vlpiani sententia, Quod principi placet, legis vigorē habet, valde adulatoria fuerit, quippe non absimilis isti Neronis, Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas; vel Demetrii, quicquid rex Demetrius iussisset, id apud Deos fas, & apud homines ius esse; vel alterius cuiusdam apud Plutarchum, id ius esse, quod vtile Spartæ sit. Atqui profecto illicita & inhonesta principum placita pro lege nequaquam habenda sunt, sed ea, quæ naturali aut ciuili, rationi, honestati, iustitiæ, & æquitati, pudori naturali aut ciuili, non repugnant. Nam ius ciuile, etiam mere ciuile, sine illis ipsis ius esse ac subsistere nullo modo potest. Ius enim ciuile, est præceptum virtutis ac iustitiæ ciuilis, rationi rectæ ac legi conscientiæ consentaneum: vel prudentiæ, rationis rectæ, ac iustitiæ legis conscientiæ conforme. Cæterum & alia quædam erga principes adulatoria passim in iure deprehendat, qui volet: vt corpora subditorum Deus imperatori subiecit: item omnia (bona in imperio sita) sunt principis: seu fiscalia seu patrimonialia: de quibus vide *Cuiac. 15. obs. 30. fi. Dn. Gothofr. not. ad N. 105. c. 2. fin. ac meum, si lubet, de iurisd. & imper. tract. cap. 1. tmema. 3. nu. 11. ac seqq. vsque ad 15. & c. 1. tmem. 5. nu. 2. 3.* vbi tandē conclusio est; princeps nemini, ac ne priuato quidē, inuito, ius suū adimere potest, nisi ob summā atq; euidentissimā Reip. ipsius necessitatem, idque iusto tamen refuso precio.

At vero Imperatori Devs leges ipſas ſubiecit, eumque legem animatam hominibus eſſe voluit, ait Iuſtinianus *Nou. 105.c.2. in fi. Vbi Dn. Gothofr. not.* Reſpond. ſubiecit ei, vt ſit patronus ac cuſtos earum. 2. & interpres legitimus. 3. vt ſubditos ad earum obſeruātiam adigat. 4. vt leges nouas ſubditis, quotieſcunq; neceſſariæ ſunt, legitimas tamen & rationi rectę conſentaneas, ferat, nullas nouas ab aliis accipiat, neve hoſtes aut ſubditos ſibi imperare aut rebellare ſinat. 5. vt corrigendas prouide corrigat. 6. vt mutandas, obrogandas, derogandas, ſubrogandas, abrogandas, rite ac prudenter mutet, obroget abroget, &c. 7. vt mutatas vel abrogatas, ſi neceſſum erit, in vſum reuocet. 8. vt legibus morigeros premiis, immorigeros pœnis afficiat: idq; ſecundum leges ac mores ciuitatis laudatos, vel his deficientibus, ſecūdum rationem rectam, iuſtitiam, & legem conſcientiæ, imprimiſq; ſecundum aliarum ciuilium legum & caſuum, ſi ea haberi poteſt, analogiam: non autem ita ſubiecit, vt pro beneplacito arbitrii ſui cuſtodiat eas, vel non cuſtodiat, dextre vel ſiniſtre interpretetur, pro vt libuerit, vt ſubditos ad earum obſeruātiam adigat, vel non adigat, vt leges, quoties neceſſitas poſtulat, ferat, corrigat, mutet, obroget, abroget, vel etiam non ferat, non corrigat, non mutet, non abroget, ſontes puniat, vel non puniat, &c. Talem enim ac tam abſolutam poteſtatem vel maieſtatem nullus homo, nullus princeps, rex, aut imperator, vllo modo habere debet aut poteſt. Princeps ergo eſt ſupra ius, & reges ſupra leges. ἐπάνω τῶν νόμων, vt ait Diuus Chryſoſt. ſed non ſimpliciter, non ſupra omnes leges, verum ſupra minus honęſtas, minus prudēter ac iuſte latas, minus vtiles Reip. non durabiles, nō conſtantis rōis & vtilitatis, &c. hoc eſt, princeps eſt ſupr. leges eaten⁹, quatenus habet plenam poteſtatē ferendi, derogādi & abrogandi leges (vt iam modo fuſius dictum) non

temere

temere tamen, sed ex iusta causa, & ex vsu Reip. sine damno & iniuria alterius, sine offensa iusticiæ & æquitatis, iuris naturæ & rationis communis: deinde quatenus ἁμαρτήσας οὐ κολάζεται, ad supplicium non rapitur, si deliquerit. 3. quatenus legibus nonnullis priuilegio quodam exemptus est. 4. quatenus habet potestatem confirmandi quandoque ea, quæ non iure facta sunt: sic adoptionem non iure factam princeps confirmare potest, *l. 38. de adopt.* vt & matrimonium iniustum, statumque liberorum non iure quæsitorum, *l. qui in prouincia, §. vlt. de ritu nupt.* Ita legimus eum pœnæ veniam facere, & abolere crimen indulgentia & benignitate sua: quin & ex iusta caussa quandoque veniam legibus facere. Atque hoc solum est, quod dicitur principes esse supra leges. Sed ipsi interdum attribuere sibi audent præter ius piumque. Neque enim placet, quod de Achille ait Homer. Iura negat sibi data, nihil non arrogat armis: nec placet, quod ille affirmat, se ei regnum deferre, cui gladius acutior. Hæc Cuiacius 15. *obs. 30. ante fin. & in recit. ad l. 5. col. 10. de iustit. & iur. & in recit. ad t. C. de testam. col. 7. ante fin. & omnino in fin. Conf. Connan. 1. com. iur. ciu. c. 16. num. 10. Dn. Gothofr. not. ad N. 105. ca. 2. in fin. Schvvartzenth. ad l. nemo. 13. C. de sentent. & interloc. nu. 72. ac seqq.* Nec sane placet, aut placere debet, quod Innocentius 3. *in c. proposuit. 4. circa fi. de concessione prabend.* prodidit: Nos secundum plenitudinē potestatis de iure possumus supra ius dispēsare, *vide Corras. 2. Misc. 25. princ.*

Atque hæc paucula quidem ex Vlpiano præsertim & Iustiniano contra sententiam nostram proferri solent ac possunt. Sed videamus nunc, quot & quanta vicissim in contrarium ex Imperatoribus, & Iurisconsultis Iuris prudentiæ Romanæ in promptu sint: & quomodo principes ipsimet vltro legibus ciuilibus sese obstrixerint; vel se iis merito obstrictos esse pro-

fessissimo & de hoc ipso gloriati fuerint, *l. 2. de leg.* Lex ipsius Dei inventum ac donum est: cuius (nempe Dei) decretis principem solutum esse, nemo sanæ mentis est dicturus, *c. cum inferior. de mai. & obed. & iam. d. l. 2.* lex est omnium diuinarum & humanarum rerum regina; Princeps, Dux, ac præses & bonis & malis: regula iustorum & iniustorum: quæ omnibus hominibus præcipit facienda, prohibetque non facienda.

In constitut. *de concept. Digestor.* §. 1. nihil tam præclarum in omnibus rebus invenitur, quam legum auctoritas: quæ & diuinas & humanas res bene disponit, ac omnem iniquitatem expellit &c. *Nou. 164. in princ.* Deo simul & iusticia nihil maius existit: Absque his enim nihil vnquam commode geri potest, & præcipue in nostra hac Republic. (ait Iustinianus imperator) exinde enim & subditos ad beneuolentiam, itemque ad summam licet attrahere devotionem. Quapropter & nos diuinitus perque iustitiam, sceptra Imperij suscepimus. *Nou. Leon. 36. in princ.* leges sunt sustentaculum ac fundamentum Reipublicæ, ideoque vt Respublica in tuto sit, certe leges sanitatem eius conseruent oportet. Legis autem sanitas est æquitas, & ibid. Leges Rempublic. nostram gubernare debent, ait Leo Imperator.

L. 3. C. de testament. Licet lex imperii solennibus iuris Imperatorem soluerit: nihil tamen tam propriũ Imperii est, quam legibus viuere.

l. fi quib. mod. testam. infirm. in fi. Diuus seuerus & Antoninus sæpissime rescripserunt licet legibus soluti simus: attamen legibus viuimus.

L. 23. de legat. 3. decet enim tantæ maiestati, eas seruare leges, quibus ipse (Imperator) solutus esse videtur (& recte ait, Videtur: nec. n. vere solut⁹ est legib. quinimo eis alligatus est, *l. 4. C. de legibus*, ait Dn. Gothofr. in not. ibid.

L. 4.

L.4.C.de legib. Digna vox est maiestate regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri. Adeo ab authoritate iuris, nostra pendet auctoritas, & reuera maius imperio est, submittere legibus Principatum, & oraculo præsentis edicti, quod nobis licere non patimur, aliis indicamus. Ad hanc legem eleganter præcellentissimus Gothofr. putemus hoc (quod hac lege continetur.) Imperatoribus aliis non tantum exemplo, sed & præcepto esse. Vice versa ius regium, cuius fit mentio, *1.Reg.8. vers.11.* bonis Regibus nec præcepto nec exemplo. Illic enim ostenditur, quid acturi sint reges reprobi, quid vitaturi sint boni, *Greg.1.Reg.10.exposit.4.*

Paul. 4.Sentēt.5.§.3. Eum, qui leges facit, pari maiestate (qua eas facit) legibus obtemperare conuenit.

Eleganter *can.2. distinct. 9. ex Isidori lib.3. sentent. de summo bono, cap. 53.* Iustum esse Principem legibus obtemperare suis. Tunc enim iura sua ab omnibus custodienda existimet, quando & ipse reuerentiam iis præbet, &c. Iusta est enim vocis eorum (Principum) auctoritas, si, quod populis prohibent, id sibi licere non patiantur. Sic *l.2.C. Th. de cond. & hom.do. Aug.* scribimus quidem leges, sed eas sequimur.

Nou.89.ca.11.in princ. non est Imperij aut legislatoris proprium, statuere, quod iustum non est: vt puta ius patriæ potestatis soluere inuitis filiis, &c.

L.vlt.C. si contra ius vel vtil. pub. Omnes cuiuscunque maioris vel minoris administrationis vniuersæ nostræ Reipub. iudices monemus: vt nullum rescriptum, nullam pragmaticam sanctionem, nullam sacram adnotationem, quæ generali iuri vel vtilitati publicæ aduersa esse videatur, in disceptationem cuiuslibet litigij patiantur proferri: sed generales sacras constitutiones modis omnibus non dubitent obseruandas.

L.15.

L.15.*de condit. instit.* quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & (vt generaliter dixerim) contra bonos mores fiunt: ea nec facere nos posse credendum est. *l.1. C. si aduers. vendit.* Princeps nec perfidiæ, nec periurii autor esse cuiquam debet.

Imperatores ipsimet improbant legem Imperij, qua princeps legibus solutus fuit: ideoque in plerisque, etiam solennibus, ac mere ciuilibus, iure priuato vti cupiunt: adeo submiserunt legibus principatum vt etiam solennitates iuris, quibus tamen (vt rebus mere ciuilibus) maxime soluti esse videntur, violare nolint, nempe propter conscientiam, propter iniquitatis suspicionem, propter officium & existimationem, propter exemplum, *l. ex imperfecto. 3. Cod. de testamentis.* ex imperfecto (in quo desunt signa, & subscriptiones. 7. testium. *Cuiac. recit. ad t. C. de testament.*) testamento nec Imperatorem vindicare hereditatem posse, sæpe constitutum est. Licet enim lex imperij solennibus iuris Imperatorem soluerit: nihil tamen tam proprium Imperii est quam legibus viuere.

L.6. & ibi Dn. Gothofr. *C. qui testam. fac. & d. l. 3. & 20. C. de testam. l. 23. de legat. 3. & ibi. Dn. Gothofr.* Principes nolunt heredes in testamentis institui, nisi secundum leges id fieri possit, & sic, vt nemini præiudicetur, nemoque debita hereditate priuetur: imo nec legata aut fideicommissa ex imperfecto testamento vindicare volunt, quia sit inverecundum, d.l. 23.

L.7. *C. qui testam. fac.* cum heredes instituuntur Imperator vel Augusta; ius cōmune cum ceteris habeant, & ibid. Imperatori & Augustæ testamentum facere liceat & mutare, non aliter quam priscis legibus cautum est.

Instit. quibus modis testam. infirm, circ. fin. Diuus

Pertinax

Pertinax Imper. affirmabat, se tabulas non legitime factas: in quibus ipse eam ob caussam (vt illæ subsistere possent) heres institutus esset: minime probaturum: neque ex vlla scriptura, cui iuris autoritas desit, aliquid adepturum: nimirum quia, licet legibus soluti simus (vt Diui Seuerus, & Antoninus sæpissime rescripserunt) attamen legibus viuimus.

L.8. §.2. *de inoffic. test.* Si Imperator sit heres institutus: posse inofficiosum dici testamentum, sæpissime rescriptum est Sic Paul. 4 *sentent.* 5. §.3. Testamẽtum in quo Imperator scriptus est heres, inofficiosum argui potest. Eum enim, qui leges facit, pari maiestate (qua eas facit) legibus obtemperare conuenit.

Instit. quibus modis testam. infirm. circ. fin. & l. vlt. D. qui testam. & l.91. D. de hered. instit. l.22. de iur. fisc. §.2. l.2.3.4. C. ne fiscus vel Respub. Paul.5. sent. 12. §.7. 8. adde l.1. C. qui militare, & l.10. de iure fisc. Imperator non admittat se, aut fiscum suũ, litis caussa heredem institui. Baldus *ad d. l.*91. notat, priuatis plura permitti quam Principi: & Principem magis quam alios ab illicitis abstinere debere, *Dom. Gothofr. ibid. l. vlt. D. qui testam.* eius bona, qui se Imperatorem facturum esse heredem iactauerat, à fisco occupari non possunt.

L. vnic. *C. de caduc. tollen. circ. fin.* scientes etiam fiscum nostrum vltimum ad caducorum vindicationem vocari, tamen nec illi pepercimus, nec Augustum priuilegium exercemus: Sed quod communiter omnibus prodest, priuatæ nostræ vtilitati præferendum censemus: Imperialiter existimantes, subiectorum commodum, nostrum esse proprium commodum.

L. *in facto* 60. §. 1. *de condit. & demonstrat.* fiscus ijsdem conditionibus parere debet, quibus persona, à qua ad ipsum, quod relictum est, peruenit. Princeps

ceps quandoq; sibi minus vult licere, quam priuato, vt ostendit *Cuiac.in recit ad l.5.col.11.12.de testam.*

Atq. hæc quidem prisci Imperatores ac Iurisconsulti rectissime ac verissime. Ex recentiorib. Iurisconsultis viros egregios, Donellum & Cuiacium, audiamus.

Donellus.1.*comment.iur.ciu.17.in princ.*omnes legibus parere debere, etiam principem &c. Sed an omnes iuri parere debent? (ait) omnes. quandoquidē commune præceptum est, quod omnibus ponitur, *dict l.2.l.1.D.de leg.* etiamne Princeps? & tenentur etiam principes legibus. Dicitur quidem princeps solutus legibus, *l. Princeps D. de legib.* quia legibus & solennibus iuris solutus est à populo Romano lege Regia, quæ de eius Imperio lata est, *l.1. D.de const. Prin. l.3.C.de test.* At tenetur legibus cōmuni Principum lege, & sua. Declarant enim hi, se velle legibus viuere, statuentes nihil magis conuenire Imperio *d. l.3.C. de testam.§.vlt.Inst t.quib.modis test.inf.* exstatq; huius sententiæ confirmatio cum insigni commendatione coniuncta *in l.digna.C.de legi.* Digna vox, aiunt Imperatores, maiestate regnantis legibus alligatum se Principem profiteri: adeo de authoritate iuris nostra pendet auctoritas. Et reuera maius imperio est, summittere legibus principatum; & oraculo præsentis edicti, quod nobis licere non patimur, indicamus. Quod si, quidquid Principi placuit, lex est, *l. 1. D.de constit.princ.* etiam hęc voluntas lex erit: & quoniam Principes in se hoc volunt, etiam ipsi in sese erunt lex.

Cuiacius *in recitat. ad t. C. de testam. col. 20.* & vt principes soluti sint legibus (ait) tamen, vt inquit lex *3.C. de testam.* nihil est tam proprium principatus, quam secundum leges vitam degere, & ita rectissime *l.23. de legat.3.* quia decet tantam maiestatem, eius seruare leges, quibus ipse solutus videtur. Et ita Pau-

lus

lus *lib. 4.sent.* eum, qui leges facit, pari maiestate legibus obtemperare debere, & eleganter Imperatores Seuerus & Antonin. *in §. vlt. Instit. quibus modis testam. infirmentur.* licet, inquiunt, soluti simus legibus, tamen legibus viuimus, & elegantius *l. 4. C. de legibus*, præclaram esse & dignam vocem Principis, profitentis se legibus alligatum esse; & de auctoritate legum pendere auctoritatem Principis; & reuera maius esse imperio, legibus submittere Imperium.

Ideo eleganter ait, *dict. l. ex imperfecto. de leg. 3.* ex imperfecto testamento Imperatores legata aut fideicommissa vindicare inuerecundum esse, id est, dedecori. Inuerecundus enim est, qui, quod non debet, facit audacter, securus reprehensionis pudorisque sui.

Et ibid. paulo post. Princeps non omnibus legibus solutus est per *l. princeps. de ll.* sed tantum legibus caducariis. Nam diligenter attende ad inscriptionem legis Princeps, D. de legibus, est enim Vlpiani commentantis ad legem Iuliam & papiam, quæ sunt leges caducariæ. Et paulo post ibid. nec vero vnquam dicam, generaliter esse verum, quod ait lex Princeps: cum id tantum sit accipiendum specialiter de lege Iulia & Papia, non de legibus omnibus. Idem Cuiacius *in recitat. ad l. 1. colum. 10. de iust. & iur.* ex hac interpretatione, quæ necessaria est, sequi videtur, Principem suis teneri legibus, perinde atque suis etiam legibus populus tenebatur &c. Non est igitur Princeps solutus legibus, quia non agit tantum, sed & patitur, vt & populus, quodcunque bonum & æquum est, & certe dici potest, principem teneri suis legibus, nisi nominatim se exceperit in eis legibus, vel aliis postea promulgatis: & solutum esse principē legib. antiquis populi. Nam populus dum creauit Regem, solis illum legibus, quæ tum exstabant (pristinis) eximebat.

Sed

Sed hactenus satis superque demonstratum, principem verum legibus omnibus solutum non esse, multo minus legibus omnibus simpliciter & indistincte.

Videamus ergo an omnino Nullis, an vero Aliquibus, & quibus, & quatenus. Certe nullis simpliciter, absolute, omnimodo, & indistincte solutus est: 1. quia legibus ad ipsum ipsius Imperii statum pertinentibus omnino obstrictus est. 2. quia leges ciuitati necessarias necessario ferre tenetur, 3. quia corrigendas, necessariò (prouide tamen & sapienter) corrigere tenetur, 4. quia mutandas, obrogandas, derogandas, subrogandas, abrogandas, necessario (prouide tamē ac sapiēter) mutare, obrogare, abrogare, &c. tenetur, 5. itemque mutatas vel abrogatas, si necessum erit, in vsum reuocare, 6. quia nō quaslibet pro lubitu, sed necessarias, salutares, legitimas, rationi rectæ (eique tum naturali, cum ciuili) ac legi conscientiæ consentaneas ferre aut reuocare potest: nec quaslibet pro beneplacito corrigere, mutare, obrogare, abrogare, &c. sed vitiosas, minus vtiles, rationi rectæ ac legi conscientiæ minus consentaneas, de quo supra. 7. quia omnes ac singulas naturæ, gentium, ciuiles, prætorias leges (honestas, rite latas, vtiles, adhuc vsitatas) fideliter & assidue custodire, 8. recteq; ac sincere, quoties opus est, interpretari, 9. & ad omnium singularumque obseruantiam omnes ac singulos ciues & subditos sedulo adigere, 10. morigeros legibus præmiis, immorigeros pœnis afficere tenetur. 11. atque hæc omnia & singula, non pro lubitu, non pro beneplacito arbitrii sui, non quouis modo, sed candide, sincere, fideliter, diligenter, prouide, sapienter, constanter, itemque necessario, ex debito, ex officio tum viri boni, tum principis veri, quia DEVS, quia propria ipsius conscientia, ratio recta, virtus ac iustitia, officium tum viri boni, tum principis veri,

adeoq;

adeoque lex naturæ, ac multę ciuiles à Iustiniano Imperatore in corpus iuris, relatę, & iam paulo ante commemoratę leges, ipsum arctissime legibus etiam ciuilibus, adstringunt, & ad singula ista obligant.

Iam vero si omnino Nullis, certe nec aliquibus simpliciter, absolute, omnimodo, & indistincte solutus est Princeps: secus enim aliquas non teneretur custodire, recte interpretari, necessario ferendas, corrigendas, mutandas, abrogandas; non ferre, non corrigere, non mutare, nō obrogare, vel abrogare &c, teneretur.

Quibus ergo tandem legibus solutus? ais. Certe non omnibus, nec omnino nullis, sed aliquibus, veruntamen κατά τι, aliquatenus, suo modo, ac in vero sensu, non simpliciter, & quauis consideratione seu respectu, non quovis modo ac sensu, non indistincte, vel sine omni distinctione: vt & supra dictum. Nam aliquibus suo modo veroque sensu, & Nullis simpliciter, omnimodo atque indistincte solutum esse, haud pugnant; sed idem sunt.

Aliquibus ergo solutus est aliquatenus, suo modo, & in vero sensu, idque vel in genere, vel in specie, *vid. Dd. in l. digna vox, C. de ll. & in l. princeps. ff. eod. adde c. nulli de sentent. ex commu.* In genere, quatenus suo modo (vt supra dictum) ex *No. 105.* supra leges ciuiles (non autem naturę & gentium) est, minus scilicet honestas, minus prudenter ac iuste latas, minus vtiles ac necessarias Reip. non durabiles, nō constantis rationis, ęquitatis, vtilitatis ac vigoris, &c. Princeps enim est supra leges ciuiles eatenus, quatenus leges ciuib. ac subditis suis dat pręscribitque, nullas autem antea nondum latas eos sibi pręscribere sinit, & quatenus datas, vel pro parte vel in totum emendat, mutat, obrogat, abrogat &c. vel vt fusius ac pla-

nius dicam, quatenus plenam habet potestatem leges ciuiles (præsentes, præteritas, futuras) corrigendi, limitandi, mutandi, obrogandi, derogandi, subrogandi, abrogandi, itemque mutatas vel abrogatas, si necessum sit, in vsum reuocandi: quin & plane nouas condendi: Ast hęc singula non temere tamē, sed ex iusta causa, & ex vsu Reip. sine dāno & iniuria alterius, sine offensa iustitiæ & æquitatis, iuris naturæ, & rationis communis, vt iam sæpius dictum. Neque enim absolutum in his arbitrium habet: quia leges, quas condit, renouat, corrigit, mutat, legibus Dei, decalogi, naturæ, conscientiæ, rationi communi, conformes omnino esse oportet. Quas vero leges seu plane nouas, seu veteres, seu reuocatas, seu correctas, seu mutatas, aliis præscribit, ac iniungit, his & ipsemet, quatenus ad ipsius personam vllo modo ἀναλογικῶς accommodari possunt, obstrictus est, & congruenter viuere debet, vt ne, quod in aliis vituperat, ipse committat. 2. Supra leges est princeps, quatenus ἁμαρτήσας οὐ κολάζεται, ad supplicium non rapitur, si deliquerit: legibus enim ligatur magis quo ad vim legum directiuam, quam coërciuam, vt loquuntur. 3 quatenus habet potestatem confirmandi quandoque ea, quæ non iure facta sunt.

Sic adoptionem non iure factam Princeps confirmare potest, *l. 38. de adopt.* vt & matrimonium iniustum, statumque liberorum non iure quæsitorum, *l. qui in prouincia, §. vlt. de ritu nupt.* plura vide supra. In quo ipso tamen caute ac circumspecte versabitur, & ita scilicet. Ne quid nimis. 4. Quatenus in casibus iure ciuili non expressis lex scripta, vel legis scriptæ analogia, deest: tum enim res tota boni Principis arbitrio, prudentiæ, & conscientiæ sanæ

ac sinceræ permittenda: vt ipse pro sua prudentia, & conscientia, cognoscat, iudicet, imperet, puniat; vel etiam, si lex quidem scripta, vel legis scriptæ analogia, in iure expressa sit, at circumstantiæ in casu perplexo variæ ac perplexæ non ferant, legem scriptam, vel directam vel analogicam, in casu præsente sequi: nam & tunc veri bonique Principis arbitrio, prudentiæ, & conscientiæ, res permittenda est.

In specie ac proprie solutus est Princeps certis quibusdam legibus, vt 1 quas certis personis, opificibus, artificibus, tribubus, collegiis &c. præscribit, & quæ ad ipsius (Principis) personam analogικῶς accommodari non possunt, vt puta quas sutoribus sartoribus &c. quatenus sutores, sartores, non autem quatenus ciues sunt, præscribit.

Indignissimum enim sit Principem sartoriis aut sutorijs subiectum esse legibus. Quas vero ciuibus, seu omnibus, seu aliquibus, quatenus cives sunt, præscribit, his & ipsemet, quatenus ad ipsius personam vllo modo seu directe, ac proprie, & expresse, seu analogικῶς (ob æquabilitatē seu parilitatem rationis) accommodari possunt, obstrictus est, vt supra.

Certis quibusdam, vt solennibus, pœnariis, caducariis, &c. 3. certis quibusdam alijs, quibus priuilegio quodā Maiestatis exemptus est. Sunt enim, quæ vocantur, Iura seu priuilegia Principis, iura Maiestatis, Regalia,

In his tamen omnibus ac singulis non simpliciter & indistincte solutus est, sed suo modo, veroque sensu, hoc est, ita demū, vt interim leges istas, quib. ipse solutus est, fideliter tueatur, & custodiat, recte interpretetur, quoties opus, ciues, atq; omnes eos, qui istis

 soluti

ſoluti non ſunt, ad ſedulam earum obſeruantiam adigat: item vt eas, ſi iuſta neceſſitas requirit, emendet, mutet, obroget, abroget, &c. Idque non pro lubitu & arbitrio mere abſoluto, ſed ſincere, fideliter, prudenter, conſtanter, neceſſario, ex debito, ex officio tum viri boni, tum Principis veri, iuxta rationem rectam, eamq; tum naturalem, tum ciuilem iuxta legem D E I, decalogi, naturæ & conſcientiæ, vt ſupra dictum.

Sed de caducariis, pœnariis &c. obiter videamus. Cuiacius *in recitat. ad l. 5. col. 10. de iuſt. & iur.* legem Princeps D. de ll. interpretatur de ll. Antiquis. Et certe dici poteſt (ait) principem teneri ſuis legibus, &c. ſolutum vero eſſe Principem legibus Antiquis populi. Nam populus dum creâuit regem, ſolis illum legibus, quæ tum exſtabant (priſtinis, antiquis) eximebat.

Idem Cuiacius. *15. obſ. 30. in princ. at med. & in recit. ad t. C. de teſtament. col. antepen. & ad d. l. 5. col. 12.* dictam l. Princeps, de caducariis legibus, interpretatur. Inuenio (ait) ſolutum eſſe Principem legibus caducariis, Iulia nempe & papia, quod eæ per ſe vulgo eſſent odioſæ, *l. quod Principi, 56. de legat. 2.*

Finge: quidam legauerat principi. Mortuus eſt Princeps, antequam dies legati cederet: An ſit caducum legatum? Minime: ſed tranſit in ſucceſſorem Et de iis legatis caducis eſt intelligenda lex Princeps. de ll. Nam inſcriptio huius legis (quod diligenter attende) eſt ad l. Iuliam & papiam, quæ ſunt leges caducariæ. Vnde apparet dictam l. Princeps, non accipiendam de quibuſcunque legibus, ſed de caducariis.

Et ibi. *d. t. C. col. vlt.* Nec vero vnquam dicam, generaliter eſſe verum, quod ait *l. princeps.* cum id tantum ſit accipiendum ſpecialiter de lege Iulia & Papia,

pia, non de legibus omnibus, conf. Dn. Gothofr. *not. ad l. 4. C. Ad l. Falcid.* leges vero caducariæ *per l. vnic. C. de caduc. toll.* iampridem à Iustiniano penitus sublatæ fuerunt: vt hodie de iis quæstio nulla sit: nimirum cum iis & subditi non amplius obstricti. Pœnarijs legibus principem solutum affirmant Græci: & dictam l. Princeps de pœnariis legib. interpretantur; ἁμαρτήσας οὐ κολάζεται, aiunt: delicti à se commissi pœnam legibus definitã non sustinet: quia scilicet iudices non habet, Cuiac. *15. obs. 30. in princ. D. Vult. in comment. Instit. ad §. 7. num 5. de iust. & iur.* Aliqui (vt supra) distinguunt inter vim legis directiuam, qua ligatus princeps, ac coërciuam, qua solutus.

Solennibus iuris quoque solutus est Imperator: imo lex Augusti, *l. apud eum. 14. de manumissio.* & lex Imperij, *l. ex imperfecto. 3. C. de testam.* tantum solennibus iuris Imperatorem solutum asserunt. Vnde & Donel. *1. comment. 17. Coras. in d. l. Princeps, num. 3. & 2. Misc. 21. Zas. in d. l. princeps, nu. 3. Pruckmann. tr. de regalib. p. 1. §. soluta potestas, c. 3. num. 81. & alij.* tantum solennibus iuris Principem solutum censent, alijs vero legibus non solutum. At enim licet solennibus iuris solutus sit Imperator; posteriores tamen Imperatores istis quoque sese (proculdubio ex conscientiæ ad id vrgentis impulsum) in plerisque subiecerunt, vt supra fusius. Imperatores (ait Cuiac. *in recit. ad d. l. 5. col. 12. adde 15. obs. 30. circ. med.*) fauore libertatum non seruabant solennia manumissionis. idem *in recit. ad t. C. de testam. col. pen.* Etiam inuenio (ait) in manumissis vindicta, si quem Princeps manumittat vindicta, non seruari solennia iuris, *l. apud eum de manumiss.* quia scil. concurrit fauor libertatis. Hoc igitur non tam Principi datur, quam libertati, maxime datæ à Principe, vt non desideret solennia iuris: quæ data à priuato, vti-

que nulla sine solennibus. Et mox ibid. Cuiacius istam Principis à solennibus solutionem ad certos casus restringit: Invenio igitur (ait) Principem non obligari iuris solennibus, his casibus, quos exposui, nempe Manumissionis, ac Sepulturæ Principis in vrbe: de qua iam sequitur. Lege quoque ea, (Seruio teste) solutus est Imperator, quæ vetat in vrbe mortuum sepelni, Cuiacius *dict. obser.* 9.30. *Dn. Gothofred. ad d. l. 4.*

Invenio etiam (ait Cuiac. *d. col. pen. C. de testam.*) nunquam ea lege, quæ lata est Duillo Consf. fuisse obligatum Principem, qua cauetur, ne quis in vrbe sepeliatur.

Inuenies apud Seruium Honoratū 2. Æneid. Virgines Vestales ac principes sepeliri in vrbe, nec ea lege teneri quæ vetat quenquam in vrbe sepeliri.

Iura seu priuilegia Principis supersunt: eaque duorum ferme generum. Primi generis sunt Iura Maiestatis, seu Regalia, κατ᾽ ἐξοχὴν sic nuncupata: vt bellum hostibus indicere, inferre ac finire: priuilegia cōferre: Nobilitare; legitimare, famę restituere, Academias fundare: Magistratus (præsertim superiores, item Doctores, Magistros, Licentiatos, poëtas, tabelliones, creare, de sententiæ viribus cognoscere, nullam à se ad alium ꝓuocationem admittere; ad mortem condemnatos, si grauis caussa sit, absoluere, nummis precium, pondus, nomen & figuram præscribere; de ponderibus statuere; vectigalia & tributa exigere; bona vacantia occupare; Mercatus & Nundinas constituere; & si quæ sunt istius generis alia. Confer Dn. Vult. 1. *Iur. Ro.* 12. *nu.* 25. *ac seqq.*

Alterius generis sunt alia nonnulla, quibus Princeps fruitur, priuilegia singularia: puta, vt censeatur maior ante annos, vide D. Gothofr. *Not. ad leg.* 8. *de muneribus.* 2. vt in contrahēdis nuptiis nō ita obseruet

gradus prohibitos (exceptis tamen ascendentibus, descendentibus, & collateralibus proximi gradus, vid. constitutionem Isaaci Angeli cap. 2.) 3. facit etiam gratiam Iurisiurandi, *l. vlt* ad Municipales. Vbi tamen agitur de Iure suo, & vbi manifesta deceptio iurantis, non vbi legitime iuratum, *Nov. 9. l. 1. C. si advers. vendit. l. 3. C. si minor se maior. &c.* 4 Indulget etiam interdum pœnas legibus constitutas vid. *C. de abolition. & de gener. abolit. His adde Bossium in tractat. de Principe ac Priuilegijs eius, tit. 100. & Cuiac. 15. observa. 30. Et Dn. Gothofred. ad d. N. 105. fin.* In reliquis vero plerisque omnibus casibus eodem cum cæteris iure vtitur, *N. 89. cap. 11. in princip. leg. 6. ff. qui testament. l. 8. §. 2. ff. de inofficios. l. pen. ff. de hered. instituen. leg. 15. ff. de condit. Inst. l. 23. ff. de legat. 3. l. 60. de condict. & demonstrat. l. 6. 22. §. 2. ff. de iure fisc. l. 2, 3. Cod. ne fiscus vel Respublica Dn. Gothofred. d. loc.*

Et hactenus de legibus, quibus Princeps suo modo vtroq; sensu exemptus ac solutus est.

Sed an non suis saltem, & à se latis legibus, iisque omnibus ac semper solutus est? (ais) certe non omnibus, nec semper: eum, qui leges facit, hoc est aliis præscribit, pari Maiestate (qua eas aliis præscribit) legibus obtemperare conuenit, ait Paul. plura vide supra. Eatenus tamen lege ea, quam aliis condidit, ligatur, quatenus vlla inter ipsum & alios, quibus condidit, analogia, vel æquabilitas rationis & iuris esse potest. Damhud. *in praxi crimin. cap. 82. numer. 45. 47. 48. 73. 74. 110.*

Quas vero certis personis, opificibus, artificibus, tribub. collegiis &c. præscribit, & quę ad ipsius (Principis) personam vel directe & expresse, vel analogicῶς accōmodari nō possunt, his omnino solutus est;

ſed ſuo modo: ita nimirum vt eos, qui iſtis ſoluti non ſunt, ad earum obſeruantiam adigat; item vt eas tueatur & cuſtodiat, recte interpretetur, ſi opus, & cætera, de quibus ſupra, Cuiacius *11. obſ. 30. ſed in primis in recit. ad l. 5. col. 9. 10. de iuſtit. & iu.* ex verbis *et & in eum, l. 1. de conſtit. princ.* concludit Principem ſuis teneri legibus, perinde atque ſuis etiam legibus populus tenebatur. Et mox *ibid. d. col. 10.* Et certe dici poteſt, Principem teneri ſuis legibus niſi nominatim ſe exceperit in iſtis ipſis legibus, vel aliis poſtea promulgatis. Quæ tamen limitatio (niſi nominatim ſe exceperit) niſi ad certos caſus iuſtis rationibus reſtringatur, valde diſplicet. Quid enim ſi princeps in omnibus omnino legibus ſe & ſuos excipiat? hoc eſt DEOS faciat, qui labi & errare haud poſſint. Hi enim ſoli legibus ſoluti: quia iuſto non eſt lex poſita, iniuſtis vero, labentibus, errantibus, omnino poſita.

An ergo aliorum quoque legibus ſubiectus eſt, & quatenus? Diſtingue, non eſt ſubiectus aliorum, qui extra ipſius Rempubl. ſunt, legibus; niſi eas ſibi ac ſuis vltro accommodet, ſicut Romani priſci è Græcia leges ſuas attulerunt. Cæteroquin aliorum in ſua Republica, nempe prædeceſſorum, priorum legislatorum, item ipſius Reipublicæ, vel procerum eius adhuc ſuperſtitum, ante ipſum latis legibus, adhuc vigentibus, prudenter latis, & vtilibus, omnino ſubiectus eſt, quatenus ad ipſius perſonam vllo modo ſeu proprie & expreſſe accommodatæ ſunt, ſeu analogicos accommodari poſſunt: item quatenus leges ipſas cuſtodire, ciues vniuerſos ac ſingulos ad ſeriam earum obſeruantiam adigere tenetur, vt ſupra. Atque hæc de præterito tempore, & iam latis ll. Quoad futurum tempus; Nullius alterius, quicunque ſit, ſeu intra, ſeu extra Rempublicã ſuam, legibus ſubiectus eſt, niſi ſponte

ac vo-

ac volens legumlatorem, seu pristinarum legum ac politiæ reformatorem prudentem eligat, eiusque leges ipse Princeps authenticas faciat. Nemo hominum enim ipsi leges nouas præscribere potest, si verus, & absolutæ maiestatis Monarcha est.

Subditorum tamen statutis & consuetudinibus communibus & vniuersalibus, præsertim inueteratis, si æquitate & aperta ratione naturali nitantur, se accommodare debet. Damhud. *in praxi crimin. cap. 82. num. 50.*

Hactenus ergo satis superq; demonstratum: Quod verus ac bonus Princeps (quem nos consideramus, imo considerare omnino debemus; quid enim nobis cum Tyranno negocii) nulla quacunque lege vera, honesta, salutari, & in imperio suo adhuc valida, simpliciter, omnimodo, & indistincte solutus sit, aut solutus saltem esse debeat: demonstratum, inquam, tum aliis rationibus & argumentis, tum eo inprimis, quod veri boni, ac pii Imperatores & Iurisconsulti, quotquot leges iure nostro comprehensas tulerunt, & in primis Iustinianus, qui eas omnes, quippe in corpus Iuris sui relatas, authenticas fecit, id aperte fatentur, & hanc ipsam sibi ipsis legem ponunt; Digna vox est Maiestate regnantis, legibus sese alligatum Principem profiteri, *l. 4. C. de legib.* Decet tantæ Maiestati, leges seruare, *l. 23. de legat. 3.* Nihil tam proprium imperii, quam legibus viuere, *l. 3. C. de testamentis.* Princeps ius commune cum cæteris habeat, *l. 7. C. quia testamenta fac.* Scribimus quidem leges aliis, sed eas sequimur ipsi, *in Cod. Th.* Eum qui leges facit, pari maiestate legibus (quas aliis facit) obtemperare cõuenit, Paulus 4. *sentent. 5. §. 3.* &c.

APPENDIX, DE PRIVILEgiis Reginæ, siue Augustæ, ex Cuiacio & Corrasio.

CViacius *in recitat. ad l. s. colum. 12. de iustit. & iur.* Augusta non est soluta legibus caducariis, quod & probat lex si Augustæ, *de legatis secundo*, quæ sequitur legem quod principi, *de legatis secundo*. Sed eadem priuilegia princeps tribuit Augustæ, quæ ipse habet.

An tribuit ei augustum illud priuilegium, quod appellamus, vt ei & in eum? Minime. An tribuit ei, vt sit soluta legibus caducariis? Minime. Sed loquitur de aliis priuilegiis, vt Augusta habet tacitam hypothecam, sicut Augustus, ex omnibus contractibus. Et priuilegium inter creditores, *l. 6. de iure fisci.* Et habet priuilegium donationum. Vir non donat vxori. Augustus donat Augustæ iure licito, Et vt Augustus, ita Augusta donationes non insinuat, *l. penult. C. de donat. inter virum & vxorem*. Etiam Augusta habet hoc priuilegium commune cum Augusto, vt ea, quæ vendiderit, aut donauerit, non possit ab emptore aut donatario vllo modo reuocare, qui se dicat dominum, sed qui agere vult, debet agere intra quadriennium contra ipsum Augustum vel Augustam, non possessorem, *l. vlt. §. vlt. C. de quadr. præscript. l. vlt. C. de sacros. eccles.*

Cuiacius *in recitat. ad tit. Cod. de testament. colum. antepenultim.* Princeps legibus solutus est, id est, lege Iulia & Papia, id est, non omnibus legibus, Augusta autem vt subiicit, non est soluta legibus caducariis, quanquam princeps ei tribuat eadem priuilegia, quæ ipse habet, non intelligit priuilegium illud, vt etiam Augusta sit legibus caducariis, sed vt Princeps vel fiscus habeat ex suis contractibus tacitam

gitam hypothecam ſemper, & Auguſta habeat priuilegium in actionibus perſonalibus. Idem etiam Auguſta habeat, vt ſimiliter habet vacationem & immunitatem, vt habeat priuilegium in donatione, vt valeat donatio facta ab Auguſta, ſine inſinuatione, perinde ac ſi facta eſſet a principe; vt facta ab hoc vel illa donatio filiofamilias imputetur, quaſi caſtrenſi peculio; vt donatio inter Auguſtum & Auguſtam valeat, quæ non valet inter maritos, id eſt, regulariter priuatos, *l. illud. Cod. de ſacroſanct. eccleſ. l. penultim. Cod. de donation. inter virum & vxorem. l. cum multa. Cod. de bonis, quæ liberis. l. ſancimus. §. primo. Cod. de donation* Et ſicut res alienæ, quæ forte imprudenter à principe venditæ & donatæ ſunt alteri, non poſſunt à domino, id eſt, ab eo, qui emit à principe reuocari aut vindicari, vel à donatario, ſed eſt tantum domino rerum in ipſum Principem ſeu fiſcum intra quadriennium agere. Ita idem ſequimur, ſi quid imprudens Auguſta ex rebus alienis donauerit aut vendiderit, ne reuocetur donatio, ſed liceat agere in Auguſtum intra quadriennium, *l. vltim. §. vltimo. Cod. de bonis, quæ liberis.* Hæc priuilegia princeps communicat Auguſtæ. Nunquam autem Auguſta inuenietur ſoluta legibus, ne odioſis quidem legibus, quales ſunt L. Iulia & Papia.

Corraſ. *2. Miſc. 25. numero ſexto.* Quid autem dicemus in Auguſta, hoc eſt; principis vxore? Et eam legibus ſolutam non eſſe, ſed vt reliquum hominum genus obſtringi, verius eſt *dicta l. princeps. & l. 1. Codic. de conduc. & procu. præd. dom. Auguſt. libro vndecim°.* Ceſſant quippe in Auguſta rationes, quæ tantam dederunt principi authoritatem, illæ præſertim condendæ legis, quæ in ſolo principe locum habent, *l. fin. Cod. de legib.* aliis omnibus denegata eſt, mulieribus maxime, quæ legibus condendis nec qui-

dem intereſſe poſſunt, *l. 1. ff. de legi.* Imbecillis enim ſunt,& inconſtantis animi, vt non immerito veteresq; voluerint fœminas à ciuilibus ſeu publicis officiis remouere,*l. 2. ff. de reind.* neq; vlla in re viris ſuis,quam in his quæ ad lanificium pertinent, operari. Quanquam aliquando vel principis indulgentia,vel moribus receptum ſit, vt mulieres ſceptra regia teneant, pro tribunaliq́ue ius dicentes ſedeant. Nam & Britannis quos nunc Anglos dicimus, morem eſſe, vt fœminæ in regno ſuccedant, regniq; adminiſtrationem ſuſcipiant,palam eſt: Ioannamque Siciliæ reginam, in regali ſolio ſedentem, ſententiamq; pro tribunali ferentem, Angelus ſe vidiſſe refert. Et in reginam Francorum, aliquando compromiſſum eſſe legimus,*c. dilecti. de arbitr.* Abbatiſſamque iuriſdictionem habere, & adminiſtrationem dignitati ſuæ annexam, ſummus Pontifex ſcribit, *c. indemnitatib. de elect. in 6.* Plane licet Auguſta legibus ſoluta non ſit; princeps tamen eadem illi priuilegia tribuit, quæ & ipſe habet, *dict. l. princeps. & l. fiſcus. §. fin. ff. de iur. fiſc.* Vnde quemadmodum princeps ab omnium vectigalium præſtatione immunis, *l. licitatio. §. fin. ff. de pub.* & donatio ab eo procedens, vel in eam collata, non eget inſinuatione,*l. ſancimus. cum auth. ſeq. C. de do.* Et facta inter Auguſtum & Auguſtam donatio, conſtante matrimonio,rata eſt, *l. donationes quas diuus. C. de do. inter vir. & vxor.* Quibuſque donantur cubicularii principis priuilegiis,donati quoque intelligi debent,qui apud Auguſtam eodem munere funguntur, *l. cubicularios. de prapoſ. ſac. cubicul. lib. 12.* (Horum omnium ratio eſt, quia ſplendent honore mariti vxores,*l. fœminæ ff. de ſenato. l. mulieres. de dig. lib. 12.*) Et cum duo ſint in carne vna, ſociique diuinæ & humanæ domus dicantur, *l. 1. ff. de ritu nupt. l. aduerſus. C. de crim. expi. hared.* indignum lex exiſtimauit, marito in altiſſimo honoris gradu collocato,

vxoris

vxoris dignitatem pariter non concrescere, *l. si liberam. C. de nupt.* quid enim tam humanum est, quam fortuitis casibus, prosperis vel aduersis, coniugis participem coniugem fieri? *l. si cum dotem. §. si maritus. ff. sol. matrim.* Merito absurdum veteres putauerunt, aliquid esse, quod non inter virum & vxorem commune sit. Qua ratione virum ab vxore contraque vxorem à viro quicquam accipere, vetitum, Plutar. in Problem. scribit. Iurisconsultis tamen in aliam rationem euntibus, *l. 1. ff. de don. inter vir. & vxor.*

Ἐπεισόδιον *ex Cuiac. An princeps legibus solutus & quibus.*

CViac. *add. l. 5. col. 9. in pr.* Reges dicim⁹ omnes, qui regalẽ illam potestatẽ habent dandi leges & dominandi, etiamsi alio nomine appellentur, vt duces, vel comites, vel principes, vel imperatores, de quorum imperio etiam lata lex regia dicitur, qua populus ei & in eum omnem suam potestatem contulit, *l. 1. de constit princip.* Lex vetus cum ipsa vrbe nata, vt ait Liuius 34. quia Romæ primum præfuit, regalis potestas & in omnibus aliis gentibus antiquis. Origo regni antiquior est, quam vel dominationis vniuersi populi, vel dominationis optimatum. Ius autem gentium, ius antiquum, leg. prima, de acquir. rer. domin. Ergo merito regnum, id est, hæc sola ratio administrandæ Reipubl. putatur iuris gentium. Et ea lex regia dicitur etiam lex imperii, *l. 3. C. qui testamen. facer. poss.* & Augustum priuilegium, *l. vnic. §. vlt. C. de caduc. tollend.*

Et ibidem mox sequitur notabilis explicatio verborum: populus ei (principi) & in eum, nempe in principem (nequaquam autem in populum, vt alii contra leges Grammaticas) omnem suam potestatem contulit, *in princ. l. 1. de constit. princ.*

Et ait *dict. l. 1. de constitution. Princip.* (inquit Cuiacius ibidem) quod est relatum in Institutiones, populus ei & in eum, &c. Multi laborant quid sit, ei & in eum. Non possunt aliud ea verba significare, quam eum populum in vicem suam regem creasse, vt subiret vicem populi, vt pateretur & ageret, quæ populus.

Nam vt populi, ita regni sunt onera quædam. Ita *in l. 1. ad Senatusconsultum Trebellian.* dicit, ex Senatusconf. Trebellian. ei & in eum actiones transire, id est, actiones actiuas & passiuas. Et in leg. receptum, de Iurisd. ei & in eum ius dici posse, qui se subiecit iurisdictioni alterius, id est, absolui eũ posse, vel etiam damnari, vinci vel vincere iudicio Ex hac interpretatione, quę necessaria est, sequi videtur, principem suis teneri legibus, perinde, atq; suis etiam legibus populus tenebatur. Itemq; populum teneri legibus principis perinde ac suis. Et, quod Seneca ait, 2. epist. datam esse principi potestatem populi, & in populum, quia scilicet potestas populi, & in populum fuit, vt ius hæredis, & in hæredem est, ac similiter potestas principis & in principem est. Nõ est igitur solutus legibus, quia non agit tantum, sed & patitur, vt & populus, quodcunque bonum & æquum est. Et certe dici potest, principem teneri suis legibus, nisi nominatim se exceperit in eis legibus, vel aliis postea promulgatis. Et solutum esse principem legib. antiquis populi. Nam populus dum creauit regem, solis illum legibus, quæ tum exstabant (pristinis) eximebat.

Cuiacius *in recitatio. ad tit. Cod. de testament. fol. antepenultim. in leg. 3. Cod. de testamentis.* ita scriptum est: ex imperfecto testamento, &c. Qua de re pauci sunt, qui liquido tradunt, quod obseruandum est, primum lex ait ex imperfecto testamento, id est, in quo desunt signa & subscriptiones 7. testium, vt ego interpretatus sum ex l. hac consultissima; hoc

titulo,

principem non vindicare hæreditatem, filium defuncti vindicare, aut nepotem, vel neptem. Imperatorem non item, qui defuncto extraneus est. Et addit rationem, quia licet lex imperii solennibus iuris imperatorem soluerit, nihil tamen est tam proprium Imperat. quam legibus viuere. Et legem imperii vocat eam, quæ primum Augusto detulit imperium, vt refert *Dion lib. 53.* Quod Augustum priuilegium dicitur, *l. vnic. §. 14. inf. de caduc. tollen.* Quodque Dionys. scribit se transferre ex latino sermone, λύονται τῶν νόμων; id est, soluuntur legibus. Et inde D Chrysost. in orat. quadam tradit principem esse, τῶν νόμων ἐπάνω. Et similiter Iustin. in Nouell. 105. leges niti principe, & esse ei submissas atq; subiectas, quod scilicet in potestate sit solius principis, ex vsu Reipubl. leges ferre, vel abrogare, vel derogare, & eas ipsum quandoque sequi non posse.

Quapropter aliquanto maior videtur potestas esse principis, quam populi fuerit. Populus enim suis legibus tenebatur, princeps suis legibus, non tenetur. Et hac causa *in l. barbarius. de offic. prætor.* ait multo magis in imperatore quam in populo esse recipiendum, vt seruum prætore facere possit Ea est lex imperii quæ Augustum soluit legibus: maxime si non iurauerit in leges initio imperii. Non solebant enim iurare in leges, cum Plinius scribat in panegyrico. Iurare magistratus quidem in leges, sed eius iurisiurandi verba ignota esse principibus. Nisi cum magistratus cogunt iurare in leges. Hodie quia principes statim initio imperii iurant in leges, tantum abest, vt legibus soluti sunt, quin quam maxime legibus obstringantur ex suo iureiurando.

Et vt soluti sint Principes legibus, tamen, vt inquit l. 3. nihil est tam proprium principatus, quam secundum ll. vitam degere. Et ita rectissime l. 23. *de legat. 3.*

Quia

Quia decet tantam Maiestatem eas seruare ll. quibus ipse solutus videtur. Et ita Paul. *lib. 4. senten.* eum qui leges facit, pari maiestate legibus obtemperare debere. Et eleganter Impp. Seuerus & Anton. *in §. vlt. Instit. quib. mod. testa. infirmentur.* Licet, inquiunt, soluti simus legibus, tamen ll. viuimus. Et elegantius *l. 4. C. de legib.* præclaram esse & dignam vocem principis profitentis se legibus alligatum esse, & de auctoritate legum pendere auctoritatem principis, & reuera maius esse imperio, legib. submittere imperium. Ideo eleganter ait dict. l. *ex imperfecto. de leg. 3.* ex imperfecto testamen. imperat. legata aut fideicommissa vindicare, inuerecundum esse, id est, dedecori. Inuerecundus non est, qui, quod nō debet, facit audacter, securus reprehensionis, pudorisq; sui. Inuerecundus Imper. qui non veretur senatus reprehensionem, cuius ipse pars est, vt ait *l. quisquë. in princip. C. ad legem Iul. Maiest. & l. ius senatorum. C. de dignitat.* qui non reuereretur autoritatem Senatus, qui nō curiam suam ait, *l. s. C. de dignit.* Denique licet tantæ maiestati non leges dare tantum, sed etiam accipere, eique se submittere, fiscumq; imperii sui. Et secundum hæc præcepta in *hac l. 3. & in d. l. ex imperfecto.* Imper. profitentur se nō vindicaturos hæreditatem, vel legatum, vel fideicommissum ex imperfecto testamento. Et simili modo inuenis etiam ex eo, quod quis dixerit se Imper. hæredem fecisse, vel hæredem facturum esse, id est, ex nuda pollicitatione & iactatione inuerecundum haberi principem, vindicare hæreditatem, *l. vlt. qui test. fac. poss.*

Cōstat etiam principem, si hæres sit institutus filio exhæredato pati querelam inofficiosi testamenti, *l. Papin. s. si Imp. de inoffi. testam.* Patitur etiam princeps legem Falcidiam, si legatū aut fideicommissum, aut mortis causa donationem acceperit. Seruat l. Voconiam, vel vt Augustus apud Dionem ab ea impetrata

à se-

à ſenatu. Quo exemplo docentur Principes, ne quid faciant contra lege ſine venia ſenatus. Volunt etiam optimi Principes prius teſtamen. in quo ipſi ſunt ſcripti hæredes, rumpi poſteriori teſtamen. id eſt, vt poſſit mutare quis etiam teſtamentum, in quo ſibi Principem hæredem facit. Quid ni? *in l.6.ſ.tit.prox.* Plus dicam, etiam Principes aliquando minus adrogare, & cõcedere quam priuatos, puta, vt capiant quidem ex alienis teſtam. iure perfectis, non etiam codicillis factis ab inteſtato, nõ ex epiſtola fideicõmiſſaria.

Ex iis ſcripturis, quæ deferuntur, non capiunt, quę ſunt minus ſolemnes, *l.2.C.Th.de teſtamen.* Eamq; conſtitutionem mirum in modum Symmachus in epiſtola quedam ad præfectum prætorii commẽdat; vtrum licet capere priuato, quod nolit capere Princeps, non niſi ex iuſto & ſolemni teſtamento? Sed poſtea alij Principes abrogarunt hanc l. 2. vt cõſtat ex *l.7.ſup.tit.proxim.* Præterea licet regulariter prius teſtamentum ſcriptum rumpatur non ſcripto, id eſt, facto per nuncupationem, ſi vtrumque ſit iure perfectum, tamen nolunt Principes teſtam. prius ex ſcripto iure perfectum rumpi poſteriore non ſcripto, in quo ipſi hæredes ſunt nuncupati. Quia ita nuncupatum fuiſſe teſtam. non poteſt probari, niſi teſtibus, qui vt adirent nuncupationem teſtam. rogati ſunt. Atque hoc teſtis facile ſuſpicabitur, in gratiam principis ementiri illam nũcupationem teſtam. quia dicunt defunctum hæredem nuncupaſſe Principem. Hoc igitur caſu vult princeps in l. nolumus, hoc tit. vt conſiſtat prius teſtamentum, quod factum eſt iure & ſolenni ſcripto, nec rumpatur poſteriore, in quo ipſe ſit nuncupatus hęres, ſolis teſtibus hoc facile concedentibus & blandientibus fortaſſe principi. Quinimo hoc vult l. nolumus. vt etiam, ſi prius illud teſtamẽtum ex ſcripto iure perfectum, poſtea ſit reſciſſum à filio exhæredato in eo teſtamento per querelam in

officiosi testamenti, si sit rescissa exhæredatio, rescissumq; testamentum totum, ac proinde exhæredatus filius veniat ab intestato ad successionem patris, vel nec eo casu impediatur successio ab intestato, ꝙ exstet posterius testamentũ non scriptum, quo nuncupatus sit princeps hęres. Inuenio etiam, quod, etiãsi regulariter quilibet possit vindicare hæreditatem sibi delatã, ab ignoto pene homine, *l. extraneo. tit. seq.* tamen legimus apud Corn. Tacitum lib. 11. Tyberium Imp. semper respuisse hæreditates sibi delatas ab ignotis hominib. Idem de Adriano Imp. legimus apud Spartianum. Et eleganter est, ad hæc, ꝙ etiam de se scribũt Imper. *l. 2. C. Th. de aduocatis fisci*, plus sibi curæ esse causas priuatorum, quam causam tutelamne sui fisci. Et quod est proditum in l. non puto, de iure fisci eum non delinquere, id est, non dicere ineleganter, qui in dubiis quæstionibus facile respondet contra fiscũ. Ad quam sententiam danda sunt exempla, *ad l. vl. in fi. de his, qui vt indignis. l. Diuus. §. 1. de iure cod. l. intercidit de cond. & demonstr. l. 2. de aur. & arg. legato. l. Paul. §. 1. de leg. 3.* In quibus omnibus locis in ambiguis semper datur responsum contra principem, cõtra fiscum ærarium. Quę regula potest accommodari multis negotiis, vt si lis est ambigua, potius descendamus in eam sententiam, quæ onerat fiscum. Contra tamen inuenio quibusdam ll. omnino, ita esse solutos principes, vt nec secundum eas viuant. Inuenio solutum esse principem ll. caducariis, Iulia nempe & Papia, *l. quod principi. de leg. 2.* Si tibi relictum sit legatum, & hominẽ exemero, id est, mortuus fueris, antequam dies legati cederet, caducum fit legatum. Sed si legatum relictum sit principi, & is obierit, quod omnes obire oportet antequam dies legati cederet, legatum non fit caducum, sed cedit hæredi principis. Et hoc est quod ait l. princeps de ll. princeps legibus solutus est. Nam diligenter attende ad inscriptionem legis, quæ

est

est Vlpiani ex quatuordecim ad legem Iuliam & Papiam, quæ sunt leges caduciariæ. Princeps ergo est legibus solutus, id est, l. Iulia & Papia, id est, non omnibus legibus. Etiam inuenio in manumissis vindicta, si quem princeps manumittat vindicta, non seruari solemnia iuris, leg apud eum, de manumis. Quia scilicet concurrit fauor libertatis. Hoc igitur non tam principi datur, quam libertati, maxime datæ à principe, vt non desideret solemnia iuris: quæ data à priuato vtique nulla sine solemnibus. Inuenio etiam nunquam ea lege, quæ lata est Duillo Coss. fuisse obligatum principem, qua cauetur, ne quis in vrbe sepeliatur Inuenies apud Seruium Honoratum 11. Æneid. Virgines vestales & principes sepeliri in vrbe, nec ea lege teneri, quæ vetat quenquam in vrbe sepeliri. Inuenio legibus igitur non teneri principem, non obligari solemnibus iuris, his casibus, quos exposui. Nec vero dicam vnquam, generaliter esse verum, quod ait l. princeps, cum id tãtum sit accipiendum specialiter de lege Iulia & Papia, non de legibus omnibus. Et tamen maxime id affirmabo, cum erit princeps, qui iurauit in legem, & quod contra legimus in plerisque auctoribus principem esse supra legem, hoc eo pertinet, vt intelligatur principem habere potestatem ferendi & abrogandi ll. non temere quidem, sed ex iusta causa, & è Republ. Ac consequenter posse principem confirmare, quæ non iure facta sunt, vt legimus adoptionem, non iure factam, à principe confirmari *in l. 38. de adoptionibus.* Et matrimonium iniustum, statumq; liberorum non iure quæsitorum à principe confirmari *l. qui in prouincia. de rit. nup.* Legimus eos pœnæ veniam facere & abolere crimen indulgẽtia & benignitate sua. Eos ex causa etiam veniam legib. facere. Et hoc solum est quod dicitur principẽ esse supra leges; nec placet, quod de Achille ait Horatius: *Iura negat sibi nata, nihil non arrogat armis.*

DE SVPREMA IN REPVB. POTESTATE, QVAM MAIEstatem vocant, eiusque notis ac proprietatibus:

HABITA IN SOLENNI HEIdelbergensis Academiæ panegyri, &c. à Iohan. Calu.

Magnifice domine Rector, Generosi domini Barones, Reuerendi, Clarissimi, &c.

Proœmium, ac beneuolentiæ captatio, studiose hic omissa est.



VAESTIO politica erit, vel potius, si quis ita malit, PoliticoIuridica: nimirum, Quodnam sit illud κύειον πολίτευμα, seu κυεία ἀρχή, hoc est, summum in Republ. imperium, ac potestas summa; De qua Aristoteles *5. polit. 7. & alibi:* quæque illius notæ ac proprietates.

Quam dum pertractare instituo, maiorem in modum vos vniuersos ac singulos, Auditores, quanta possum obseruãtia aç diligentia, enixe oro, vt me solita vestra benignitate excipere, ac breuiter de proposito themate perorantem, beneuolo & æquo animo audire & attendere non dedignemini.

Politica (vt à summo capite rem arcessam) specia-

tim ac proprie ſumpta, eſt ſpecies philoſophię practicæ, tractans de proſperitate ſocietatis politicæ, hoc eſt, Reip. ſeu politiæ.

Proſperitas ſeu beatitas iſta conſiſtit in populi politice conſociati ſalute, prudenter ac iuſte curanda: adeoq; in Rep. prudenter ac iuſte ad populi ſalutem tum conſtituenda, tum conſeruanda. Ad populi ſalutem, inquam: Non enim ſalus principis, ſed ſalus populi ſuprema lex eſto, ex duodecim tabularum legibus. Prudenter, inquam, & iuſte: quoniam prudentia rationis rectæ, & iuſtitia, ſunt norma & regula, ſunt fundamenta & fulcra verę ac legitimæ Reip. Ius ſeu lex iuſta, eſt anima Reip. legitimæ: Ratio vero eſt anima legis & iuris.

Proinde Reſp. ſeu politia recta ſiue legitima, eſt ad populi legitime conſociati ſalutem prudenter ac iuſte facta ordinatio: quicunq; demum caſus, ſeu pacis ſęu belli, inciderit, vel Reſp. recta, eſt populi legitime congregati ſuprema perpetui (ſeu ſtati) regiminis poteſtate ad communem omnium ſalutem, ſecundum ius & rationem rectam moderata ſocietas. Regiminis, dico: & ſecundum ius, dico: quoniam Reſp. neceſſario flagitat imperium & ius: prudētiam & iuſtitiam. Iuſtitiæ fundamētum eſt in prudentia rationis rectæ, quatenus hæc (nempe ratio recta, eaque practica) legem naturæ ſeu cōſcientiæ in ſeſe complectitur. Prudentia ergo præcedit quoad rationem: iuſtitia eam ſequitur quoad conſcientiam & voluntatem rationis: prudentia legem conſcientiæ ſecuta imperat & decernit facienda & exequenda: iuſtitia exequitur prudentiæ decreta & imperata. E quibus omnibus conſequitur; ſtudium politicum, ſi generaliſſima eius capita conſideres, primum omnium de populo, variiſque in eo perſonarum generibus, item populi ingenijs, natura, & moribus diſpicere (non enim quælibet cuiuſque populi ingenia, & quilibet mores,

quaslibet leges admittunt) itemque de coniunctione ac societate populi:quę fit communis salutis, mutui officii ac beneficii causa: deinde de salute populi dispicere: quæ variis bonorum ad huius vitæ prosperitatem necessariorum generibus constat: quæque consistit in communicatione rerum ac bonorum: quia vni ac solitario homini non suppetunt omnia: item in præmiis & pœnis. Bona vero illa, quibus salus ista cõstat, sunt partim animi, vt artes ac virtutes; partim corporis:eaq; tum interna, vt sanitas, tum externa, vt opificia mechanica, partim vitę seu fortunæ, vt honores & dignitates, honesta fama: item opes, & omnis generis possessiones.

Deniq; de ordinatione illa seu cõstitutione politię dispicere, quæ tũ imperio, & magistratibus; tum iure & legib. constat, quæq; salutẽ istam procurat, & qũo bona illa iuste cõparentur& conseruentur, interdum & alienẽtur aut amittantur, cõmonstrat: tũ imperio, inquam, tum iure ac legibus: quoniam sine imperio, sine magistratibus, sine iudiciis, dicasteriis, curia, senatu, cõsiliis publicis, sine iure ac legib. nulla omnino politia subsistere, multo minus florere, potest. Forma ergo politię seu Reip. est ordinatio politię, inter ciues, magistratus & maiestatem, rationi rectæ, iustitiæ, & vtilitati publicæ, consentanea, Arist. *3.*,*6 'it.1. & 6.* attestante: inter maiestatem, inquam, & subditos; & hos, tum ciues priuatos, tum magistratus publicos.

Atq; hæc breuiter de generalissimis studii politici capitibus.

Cæterũ cum Resp. nempe laudabilis & recta; præcipue definiatur suprema illa perpetui (seu stati) regiminis potestate, communẽ videlicet omnium salutem secundum ius& rationem rectam procurante: certe præcipua huius ipsius in omni Rep. cõsideratio esse debet. Suprema illa supremi regiminis potestas, omnia secundum ius, & rationem rectam ad cõmunem

nem populi salutē regens ac moderās (quę quasi forma & anima Reip. verę, aut principis veri est) eleganter à plerisq; maiestas nuncupatur. Aliis vero nominibus superioritas, absoluta potestas, potestatis plenitudo, imperialis præeminētia vel potestas, summum imperium, summa imperii potestas vel authoritas; Aristoteli *3. polit. 7.* vt & aliis, græcè κυρία ἀρχὴ, κύριον πολίτευμα, ἄκρα ἐξουσία.

Maiestas porro vera ac legitima nil aliud omnino est, nisi suprema omnis iuris & imperii in qualibet legitima & ab aliis separata Rep. secūdum Dei, naturæ, seu cōscientiæ, & communis politiæ legem, potestas: Vel, vt succinctius ac rotūdius definiam; Maiestas est suprema & perpetua in quauis Rep. secundum ius & rationem rectam potestas, nullis vllius alterius Reip. propriis legibus aut imperiis subiecta. Hæ namque sunt tres integrales maiestatis; quæ Remp. ipsam repræsentat; partes aut proprietates (quanquam in tertia seu postrema proprietate Bodinus, & eum secuti dissentiunt: de quo infra.)

Maiestas ergo, id est, potestas suprema, perpetua, nullis alteriusReip. legibus aut imperio subiecta, forma Reip. vel certe principis est, per quam est id quod est: quæ potestas in vera & legitima Rep. cōmunem populi salutem secūdum rationem rectam, & secundum ius curandum vnice spectat. Porro maiestatis (vt & magistratus) vocabulū aliquando potestatem ipsam significat, aliquando personā, vel personas tali potestate præditas; vnde maiestas & princeps sæpius pro eodē sunt, nēpe pro suprema illa supremi regiminis potestate: vel ēt pro persona tali potestate prędita.

Interea, licet maiestas populi quoq; & optimatum sit: vt plurimum tamē Monarchæ seu Imperatori tribuitur: nec princeps facile in Aristocratia & Democratia pro maiestate talium Rerumpublic. vsurpatur. Itaque maiestas, si vnius est, is qui eam obtinet,

principis, hoc est, monarchæ seu imperatoris, appellationem retinet, nempe in monarchia. Quanquam M. Antonius, & L. Verus eodem tempore simul maiestatem vnam eandemque communem quondam habebant apud Romanos: sin autem plurium sit imperialis illa præeminentia; tum vel paucorum est, qui optimates nuncupantur, nempe in Aristocratia; vel plurium & vniuersorum, qui populus est, nempe in populari statu: hæc enim sunt tria præcipua Reip. seu imperii genera, Aristotele *3. & 4. Politicorum, & 8. Ethicorum Nicomach. cap. 10. & 11. teste.*

De numero vrbium ad Rempublicam eiusq; maiestatem pertinentium, si hic quæratur: Vrbs etiam vnica Rempublic. interdum integram continet: & maiestatem seu παμβασιλείαν obtinet: seu monarchicam, seu Aristocraticam seu Democraticam: Vrbisque vnius imperium, à multarum vrbium imperio quantitate sola differt: quoad formam, differentia nulla est. In Aristocratia & Democratia maiestas seu princeps numero quidem multiplex est, sed τῷ λόγῳ, seu ratione non nisi vnus ac simplex, vniusq; non diuersi imperii ac superioritatis.

Propria maiestatis effecta, notæ ac tesseræ, sunt quælibet regalia, tum maiora præsertim, tum minora: leges condere, interpretari, abrogare, bellum hostibus indicere, inferre, ac finire; priuilegia conferre: Nobilitare: legitimare: famæ restituere: academias fundare: Magistratus (præsertim superiores) item Doctores, Magistros, Licentiatos, Poetas, tabelliones, creare, de sententiæ viribus cognoscere, nullam à se ad alium prouocationem admittere, ad mortem condemnatos, si grauis causa sit, absoluere, nummis precium, pondus, nomen & figuram præscribere: de ponderib. statuere: vectigalia & tributa exigere: bona vacantia occupare: Mercatus & Nundinas cõstituere:

& si

& si quæ sunt istius generis alia. *Confer Dn. Vult. 1. Iur. Ro. 12. nu. 25. ac seqq.* Ac si quis vnum ex illis absq; speciali Imperatoris concessione, propria authoritate sibi sumit: is læsæ maiestatis crimen committit. Ista maiestatis iura, ista regalia, istam maiestatis potestatem, h. e. supremam, perpetuam, nullis vllius alterius Reip. propriis legibus aut imperio subiectam, habet in Democratia populus, in Aristocratia optimates, in Monarchia Imperator seu Princeps: Senatus Roma. non habuit: ac ne in Democratico quidem statu habuit, hinc enim tritum illud: Senatus populusque Romanus; non autem senatus solus. In Monarchico vero statu multo minus habuit: quantumuis Imperatores nonnulli Senatum & consules maximo honore afficerent, adeo quidem, vt ipsimet quoque Imperatores suum inter Senatores & consules nomen profiterentur. Sed quid dictator Romanus? profecto nec is veram maiestatis potestatem habuit: quia perpetuam, statam, & ordinariam non habuit, sed repentinam, ob improuisum necessitatis casum iniunctam: non habuit, inquam, vel ideo etiam, quoniam à Dictatoris sententia appellare licuit; quod autem aliquandiu id non licuit, ex speciali priuilegio, & ita ex accidente fuit. Summam ergo potestatem habuit quidem, sed non absolutam, & maiestatis propriam, verum limitatam ac tēporariam, quam certo tempore, quippe tanquam alienam, restituere cogebatur.

Neque vero patroni Rerumpub. infirmiorum, multo minus confœderati in confœderatos, summā maiestatis potestatem habent.

Suprema namque maiestatis potestas, *Aristotel. 3. Polit. 7.* κύριον πολίτευμα, κυρία ἀρχή, est potestas illa, quæ nemini, præterquam immortali Deo subest & obtemperat: vel quæ post Dei immortalis potestatem, nullam inter homines se ipsa maiorem

 agnoscit.

agnoſcit. Quippe variæ in quolibet imperio ſunt poteſtates & imperia varia: vna vero iſtarum poteſtatum ſemper prima ac ſuprema eſt, à qua reliquæ omnesq; dependent. Etenim vt ad rationem, ſeu mentem in arce rationis ſedentem, ſenſus, affectus, appetitus, omneſque partes vitę reſpiciunt, ab eaque dirigũtur: ſic ad ſummam Imperii maieſtatem omnes ac ſingulę Reip. partes, officia, & munera. Ariſtotel. *4. Poli. 14.* principales partes & munera κυρίας ἀρχῆς ſunt, ſenatus, ſeu conſilium publicum: magiſtratus maiores & minores: ac iudicia, ęquitatis & iuſtitiæ aſyla: Aliud ergo maieſtas eſt, & aliud magiſtratus. Maieſtas ſeu princeps, eſt poteſtas ſupremam & perpetuam in Repub. autoritatem & imperium obtinens, nemini præterquam immortali DEO ſubiecta. Magiſtratus vero eſt perſona publica, poteſtatis politicę (quippe imperij ac iuriſdictionis) partem aliquam à Principe communicatam habens. Princeps enim ſeu maieſtas ipſam Remp. omnemq; eius dignitatem, vires, robur, ac poteſtatem repræſentat & ſuſtinet.

Et vt anima corpus omniaque corporis membra: ita princeps corpus Reip. ac ſubditos eius omnes, regit ac moderatur. Veruntamen cum is ſingulis ipſemet prouidere non poſſit, domeſtica patribusfamilias commendat: quę vero ad Reip. ſtatum pertinent, hęc ita inſtituit, vt, prout partes Reip. adminiſtrandę ſunt varię, ſic varia conſtituat officią, quibus gerendis pręficiat alios. Solet namque poteſtatis & imperij ſui partes, ſeu plures ſeu pauciores, ſeu ſuperiores, ſeu inferiores, variis varie perque varia munera publica, communicare: idque non priuatiue, ſed cumulatiue, Mynſingerus *cent. 6. obſ. 99.* poſt alios. Ipſam vero maieſtatem, & ſumma regalia, ſeu iura maieſtatis ipſius ac ſolius propria, nemini communicat, ſed ſibi peculiariter priuilegiata reſeruat.

Proin-

Proinde magistratus & præfecti, iudices & consiliarij, à maiestate seu principe, tanquam riuuli à primigenio fonte primitus in Republica exoriuntur, ac semper dependent; eique indiuulso nexu cohærent: atque adeo quicquid sunt, ac recte peragunt, maiestatis iubentis aut permittentis (seu per se, seu per alios id faciat) intuitu ac vigore validum ac firmum existit: quoniam in maiestate principis; & origine prima, & continuatione deinceps perpetua, omnes isti fundantur ac sustinentur: seu maiestas illos ipsamet per se, seu per suos, legemue suam constituat, aut constitutos confirmet, vel per ratihabitionem approbet: *Vid. Baron, ad l. 4. de offic. eius cui, &c.*

Quapropter omnis potestas, Imperium, magistratus, Iurisdictio, specialis aut particularis, in Rom. Rep. qualiscunque vel quantacunque sit, à principe seu maiestate Imperij Romani (cuius vicem Imperator & status Imperij Roman. hodie repræsentant) tanquam ex perenni fonte, perpetuo fluit, ac in eundem refluit; ab eoque & dari & adimi potest. Menoch. præsumpt. 14 *lib. 2. nu. 2. 3. 4. Mascard. Vol. probatio. 2. conclus. 1053. nu. 2.* Adeoq; maiestas seu Princeps fons & origo, basis ac fundamentum, summus præses & arbiter est omnium in suo regno tum iudiciorum, tum iurisdictionum, tum magistratuum, tum Imperiorum; adeoq; potestatis cuiuscunque in eadem Rep. existentis.

Vnde magistratus haud immerito definitur persona publica Imperij ac iurisdictionis politicæ partem aliquam à Principe communicatam habens. h. e. commodato datã: quandoquidem non dominus, sed possessor sui Imperij vel iurisdictionis est, q. certo ac finito tẽpore, si princeps voluerit, commodatum vel depositum reddere cogitur. Vsum namque imperij ex precario habet: *vid. Bodin. lib. 1. de Rep. c. 8.*

Proinde

Proinde si potestate & imperio suo abutatur, & asperior quam par est, in subditos suos probetur, iurisdictione & imperio suo penitus à Maiestate priuari poterit, *Vid. Mynſ. centur. 5. obſ. 8. Gail. 1. obſer. 17.* Quandoquidem superior, qui istam concessit potestatem, non desinit potestatis suæ arbiter esse, *vid. D. Althus. 1. Iurisp. Rom. 8. pluribus allegat.*

Sic ergo maiestatis in Rep. potestas suprema est, à qua reliquæ omnes dependent. Eadem vero & perpetua est: quia nullo per sese tempore definitur: adeoque tam diu durat, quam diu imperans, & imperium viuit; viuit autem ac persistit Imperium, quam diu substantialis forma & modus non mutatur. Magistratus quidem aliqui sunt & ipsi perpetui: sed non per se, & ex se; verum ex principis concessione.

Denique maiestatis potestas non tantum suprema & perpetua est: sed nullis etiam vllius alterius Reip. propriis, legibus aut imperiis subiecta: Neque tamen propterea legibus (vt acutissimus Bodinus, & eum secuti, sentiunt) proprie ac vere soluta. Non enim vel Dei creatoris, vel naturæ; vel gentium, vel communis politiæ legibus, soluta esse aut potest aut debet. Eleganter Aristoteles. *3. Polit. 16. & alibi*; satius est in Rep. imperare legem quam regem: tum quia honestius, iustius, ac naturę conuenientius: tum quia vtilius populo: lex enim syncera, non inhiat auro ac bonis ciuium, sicut rex: & ibidem: vbi lex imperat, ibi Deus imperat (lex enim est imago quædam Dei: quia est ratio pura & syncera, ab omni affectu libera) vbi autem rex & homo imperat; ibi affectus, qui instar beluæ est, imperat: Sic. 1. *Polit. 2. & alibi*, tum ipse, tum interpretes eius præcipui: Homo sine ratione recta, sine lege ac sine virtute, prudentia præsertim & iustitia, sceleratissimum animal est, & nocentissimum in societate politica: nam ne minima quidem

dem

dem ac simplicissima societas sine ratione & virtute: sine communione iuris ac legum subsistere potest. Et dicto *cap. 16.* veri politici (ait Philosophus, eiusq; interpretes) legem imperare volunt, non hominem: quia ius quærunt; quod est in lege: & quia lex est medium, ad quod velut ad centrum ac normam æquitatis & æqualitatis, politici veri cuncta referunt, & æqua seu æqualia faciunt; atque ita demum vnicuique quod suum est, tribuunt. Et *3. Polit. 11. ac. 15.* Imperium summum penes legem esse debet, non penes hominem: sic tamen vt imperium summum tenens, legum sit custos, defensor & interpres accuratissimus: & dicto capite 11. Imperium primario sit penes leges: secundario penes reges aut homines, nempe in casibus, nulla lege expressis. Lex primario, Rex autem (si lex deficit in casibus forte singularibus lege non expressis) secundario secundum legem naturæ, & rationem rectam imperare debet. Et *3. Polit. 13.* Virtutis veræ ac legum studioso cultori reuera debetur imperium. Et *3. Polit. 4.* Qui rectæ rationi ac virtuti obtemperat, is demum solus est dignus, qui imperet aliis. Et iam *d. cap. 4.*

Nihil est in Principe excelsius ac magnificentius (ait Aristoteles, eiusque præcipui interpretes), quam si virtuti ac legib. bonis perpetuo sese humiliter subiiciat. Nam quod ordine fit, hoc lege, hoc demum recte fit: ac vicissim; quod lege, quod recte, hoc ordine, *3. polit. 16. Et 4. Polit. 2. cap.*

Optima Respub. exactam virtutis, proinde & legum bonarum, regulam, & exquisitam ingenuæ educationis disciplinam flagitat: ideoque in optima Republica, sola & exacta virtus legesque bonæ imperant.

Atqui (obieceris) Philosophus 3 *Polit. 17.* παμ-βασιλείαν non legi, sed Regi tribuit. Imo vero, inquam,

quam παμβασιλείαν vnius monarchæ, legibus præsertim scriptis, haud nitentem repudiat philosophus, ac genuini eius interpretes; nimirum si sine distinctione accipiatur: probant autem eam, non tanquam regulam & per se, sed tanquam exceptionem à regula, & per accidens: quippe tum demum probant, si Monarcha aliquis heroica & præcellentissima virtute, prudentia, iustitia, fortitudine, & cæteris, præditus, & ad παμβασιλείαν aptissimus esse certo sciatur: subditi vero eius ad talem monarcham ferendum natura sint idonei. Atqui Princeps legibus solutus est per legem regiam, qua populus Romanus omne suum ius omneque imperium ac maiestatem principi & in principē contulit. Sic aiunt equidem.

Tacitus vero annalium suorum initio *Dion libr. 53. Suetonius in Tiberio, capite 30.* & alij, si quis recte attendat, rem paulo secus narrare videntur: nempe populum Romanum non ipsummet sponte libera tantam imperatoribus concessisse potestatem; sed hanc eos ad se partim donis; partim dolis, partim vi & armis, variisque blandimentis, technis, ac persuasionibus, callide transtulisse. Ac mirum certe sit, si Romani, qui paulo ante Iulium Cæsarem, regiam seu imperatoriam potestatem tecte & callide affectantem tot vulneribus misere confecerunt & mactarunt, omne suum imperium ac maiestatem in Principem seu imperatorem indefinite, ac indistincte transtulerit. *Vide Connanum. 1. com 16. num. 3. ac seqq. Et Baron. ad l. 1. de constit. princip. & ad l. 31. in fine. de ll. confer l. 2. de origine iur. & l. 1. ad l. Iul. Maiest.*

Quod si tamen vera & non dolosa sit lex regia: solutus quidem legibus est princeps: sed solutus quoad populum soluentem: non quoad ipsum principem,

pem, eiusque personam, officium, rationem, conscientiam, non quoad ius naturæ, gentium, aut ciuile, *attestante l. 3. C. de testamentis.* licet lex imperii solennibus iuris imperatorem soluerit, nil tamen tam proprium imperij est quam legibus viuere. Populus quippe Romanus, vel potius senatus solus, soluit eum, misere persuasus ac circumuentus, populus, inquam, non Deus, non conscientia, non natura; non ratio naturalis, non ratio politica, non ius societatis politicæ, non consuetudo seu mos maiorum pristinus ac legitimus, non officium veri principis.

Olim totus populus in rep. Romana, & aliis similibus, nullo hominum ordine, nullo homine (nisi plane extra ordinem) excepto, legibus suberat: Omnes cuiuscunque ordinis homines, si grauius deliquissent, plectebantur: quod id postea in Monarchijs (Romana, & aliis) fieri desueuit, hoc vitium est Reipublicæ male constitutæ, & in eo ipso male constitutæ, quod Monarchæ legibus soluti, ac per omnia suo ipsorum arbitrio & placito permissi. Romani sane in lege regia (si principem simpliciter soluerunt legibus) grauissime peccarunt, quod plus scilicet principi tribuerunt, quam ipsimet antea habebant: Erant enim legibus subiecti vniuersi ac singuli in populo ordines. Nec quicquam est quod in Monarchia tam obstet, quo minus ipsi citra vllam hæsitationem primas præ reliquis Reipublicæ rectæ formis deferamus, quam illud ipsum, quod monarcha legibus solutus esse, ac pro affectu, & plenitudine potestatis pleraque statuere & imperare cupiat, non autem ex plenitudine rationis rectæ, virtutis, legum, iuris, & æquitatis certæ atque expeditæ.

Sed nemo, ais, Principi imperat, nemo leges pscribit, quæ ipsum obligent: nonne ergo legibus solutus est?

est? immo vero Principi bono, bono, inquam, ac vero iustoque Principi, nemo imperat, nisi ratio recta; nisi virtus, nisi iustitia, nisi leges communes istius, in qua degit, politiæ: Nemo, nisi lex conscientiæ, quæ ipsum arctissime obstringit etiam ad particulares leges ciuiles, quæcunque ad ipsius personam vllo modo, vllaue analogia accommodari possunt: Lex, inquam, conscientiæ: quod tibi vis fieri, id alteri feceris; quod non tibi, id ne alteri; item, turpe est doctori, cum culpa redarguit ipsum: Nil denique ei obstat, nisi ratio officij ac personæ, quam sustinet: quæ flagitat, vt in omnibus bono exemplo præeat ciuibus ac subditis suis.

Et vero absurdissimum sit, caput ciuitatis non esse partem aut membrum ciuitatis, non frui communi spiritu & anima ciuitatis: Anima vero ciuitatis seu Reip. veræ, est lex, non tamen naturalis ac gentilis (de qua vtraque nullum apud nos dubium est) sed etiam ciuilis; de qua præcipue quæritur. At vero lex regia, quæ Regi seu imperatori fauet, nonne ciuilis est? nonne princeps huic subiectus esse cupit? Et cur Princeps certa, eaque ciuilia, habet priuilegia & regalia, si legibus ciuilibus omnino solutus est: quippe priuilegia habet, hoc est, exceptiones à communi regula, ergo in aliis, præter exceptiones istas, regulæ subiacet; in ijs nimirum, quæ ad ipsius personam aut proprie aut ἀναλογικῶς accommodari possunt, non autem in iis, quæ non possunt; vel quæ rite priuilegiata habet. In his enim solis, legibus solutus est; nempe quæ nec proprie ac diserte, neq; ἀναλογικῶς ad ipsius personam accommodari possunt; deinde in his quæ recte ac merito priuilegiata habet. Rectissime ergo *l. 3. C. de testa.* licet lex imperij solennibus iuris imperatorem soluerit, nil tamen tam proprium imperii est, quam legibus viuere. Pie & christiane

piissi-

piissimus imperator Theodosius, *l.4.C. de ll.* Digna vox est maiestate regnantis, legibus sese alligatum principem profiteri: adeo ab autoritate iuris nostra pendet autoritas: & revera maius imperio est, Principem legibus submittere principatum. Hæc Theodosius Imperator, Verissime *l.23.de leg.3.* Decet tantæ (Imperatoris) Maiestati, eas seruare leges, quibus ipse solutus esse videtur: adde Cuiac. *11. obs. 30. l.7.C. qui testam. l. vlt. ff. eod. l.91. de hered. inst. D. Gothofred. ad N. 105. c.2. fin. l. fin. (si contra ius vel vt.* Eleganter Plinius in Panegyrico ad Traianum Imperatorem. Non est princeps supra leges, sed leges supra principem. Et Apollonius Thyaneus ad Domitianum Imperatorem, *teste Philostrato lib.8.* Si leges tibi imperare non putaueris, ipsemet recte non imperabis.

Atque hæc obiter tantum & ἐν παρόδῳ de quæstione ista, An Maiestas legibus soluta sit. Eius enim ex professo suscepta tractatio, multo plus temporis ac laboris flagitauerit.

Hactenus ergo de natura, notis, ac proprietatibus κυρίας ἀρχῆς, quam Aristoteles vocat.

QVOD REX SVBDITVS SIT legibus, Oratio, à doctissimo quodam viro Parisiis habita.

SÆpenumero miratus sum, quorundam hominum, stultitiam ne an imprudentiam dicere debeam, nescio, qui vulgo iactare sermonibus solent, Regem legibus his, quas tulit, vel à maiorib. suis accepit, solutum esse: qui dum stulta assentatione Regis authoritatem laudare volunt, huic profecto magnum dedecus adferunt. Etenim quid tam

regium, tamque magnificum eſt, quam temperantiam ſeruare, fortitudinem ſequi, virtutibus omnibus obtemperare? At leges virtutis magiſtræ ſunt, quæ res honeſtas ac vtiles humanæ vitæ præcipiunt, prauas autem & inutiles prohibent. Hoc, inquam, legum munus eſt, vt iuſtitiam & æquitatem hominibus commendent, improbitatem ac ſcelus ab iiſdem procul arceant. Veniant igitur aulici & Gnatones, & iam vel ipſi iudicent, vtrum ſit honeſtius ſanctas & incorruptas leges à principe coli & obſeruari, an vero ſcelerate ac inceſte violari & cōtaminari. Etenim ſi Rex fuerit immunis à legibus, quid inter eum & Tyrannum poterit intereſſe? Quem enim Tyrannum appellamus? opinor, eum qui clauſtra iuris & æquitatis ſcelere & audacia perfregerit, apud quem non lex, non ratio, non mos patrius, ſed libido, ſed improbitas, ſed odium patriæ ac vtilitatis publicæ valeat.

Conſule tu duos præpotentes Reges, Cambyſem, & Cyrum, de vero imperatoris officio apud Xenophontem diſceptantes: ita enim Cyrus Cambyſem alloquitur: *εὐ ἔφη ὦ πάτερ, ὡς καὶ καρτερὸν δεῖ πρὸς πάντα τὸν ἄρχοντα τῶν ἀρχομένων μᾶλλον εἶναι, ἐγὼ γὰρ οὖν*, ait Cambyſes, nonne ſtatuunt imperatorem ad omnia tolerantiorem eſſe, & legibus magis aſtrictũ, q̃ ſubditos? Non intelligis igitur, homo inconſiderate, cum Regem legum vinculis liberas, te Regem tyrannum facere? At quanta eſſet in vtroque diſſimilitudo, facile ex Xenophonte liquet. Attende igitur pauliſper, quid loquare, & cogitationem ſapientis hominis ad punctum temporis ſuſcipe. Neceſſe eſt Regem aut virtutibus, aut vitiis parere: quandoquidem tertium nihil eſt: Tune vitiorum & ſcelerum ſeruum & miniſtrum dixeris? Nunquam eris, vt opinor, tam ſtupidus, vt in Regis perſona

sona tantam turpitudinem inesse fateare. Sequitur igitur, vt virtutibus obsequatur, quarum mēs & anima lex est.

Quæro autem à vobis, Auditores: possit ne Rex bonus & pius, qualē hac oratione nostra quærimus, rationem ducem & magistram non sequi? Atqui nihil aliud lex est, si Iamblico credamus, nisi recta ratio & omnium regina, quæ recta & iusta iubeat, vetetq; contraria: ita enim inquit ille: λέγεται μὲν εἶναι πάντων βασιλεὺς ὁ νόμος, ὃ δὲ αὐτὸς δοκεῖ καὶ προστάττειν τ' ἀγαθὰ καὶ τ' ἐναντία ἀπαγορεύειν.

Videte igitur quam stulte & inscite Regem laudent ij, qui negant eum bonis & honestis legibus deditum & astrictum esse oportere. Ego vero si de illo perhonorifice loqui vellem, hunc non solum parentem, & authorem legum, sed etiam custodem & conseruatorem studiosissimum & vigilantissimum dicerem.

Est enim in Repub. velut in theatro constitutus, quem sui ciues obseruant: itaque si iustum & bene moratum viderint, bonos eius mores: sin improbum & insolentem, vitia quoque imitabuntur. Cauete, Auditores, quicquam Platonis sententia verius esse putetis, quales sunt in Repub. principes, tales reliquos solere fieri ciues: & quæcunque mutatio in principibus extiterit, eandem in populo sequuturam. Quo perniciosius de Repub. merentur vitiosi principes, qui non solum vitia concipiunt ipsi, verum etiam infundunt in ciuitatem: neque solum obsunt, quod illi ipsi corrumpuntur, sed etiam quod corrumpunt: plusque exemplo, quam peccato nocent.

Illud vero valde mirandum esset, si licentia peccandi Regibus proponeretur, cum ipsi grauiter & seuere hominū peccata puniant, οὔτε γάρ, vt Demosthe-

nes ipse ait, πίπτοντας τρέχειν, ἢ τάττειν ἀτακτοῦντας, ἢ ἄρχειν μὴ ἀρχομένους: Nam quid minus ferendum est, quam quenquam ab aliis vitæ rationem reposcere, qui non possit reddere suæ? Tu iustitiam imperabis, & interim tamen iniuriam alijs facies? Tu officium commendabis, & ab officii religione deflectes? Non est ita, Auditores, neque quisquam veterum Regum, aut legislatorum, qui cum laude & dignitate Rempublicam tractauit, se publicis legibus vnquam emancipatum esse voluit, sed eas sancte & officiose coluit.

Nihil erat apud Romanos Numa Pompilio religiosius, nihil apud Athenienses Solone iuris & æquitatis studiosius, nihil apud Lacedæmonios Lycurgo modestius. Quid, quod olim in principem, si quid deliquisset, non minus quam in priuatum leges animaduertebant? Torquatus filium, quod edicto imperatorio obediens non fuisset, securi percussit. Et Zaleucus Locrensis, cum legem in adulteros tulisset, vt oculorum lumine priuarentur, filium adulterij crimine conuictum damnauit: & cum tota ciuitas in honorem patris necessitatem pœnę adulescentulo remitteret, sibi tamen vnum, deinde filio alterum oculum eruit. Quamobrem qui negant Reges legibus esse subiect⁹, magnam iniuriam Regię maiestati faciunt, præsertim cū nihil magis in vita principem deceat, quam exemplo suo populum ad amorem virtutis, quam leges ipsæ præcipiunt, modis omnibus incitare: Imo cum prima Regum origo à Virtute extiterit: vt iam sequitur.

QVOD

QVOD PRIMA REGVM ORIgo fuerit à virtute, Oratio, Parisiis habita.

COgitanti mihi, & annales veterum populorum memoria repetenti, non alia commendatione primi Reges delecti, & creati fuisse videntur, quam virtutis & probitatis suæ: vt qui iustitia, prudentia, humanitate, temperantia, reliquis hominibus anteirent, ab gubernacula Reipub. suffragijs omnium vocarentur. Itaque primam Regum originem & institutionem sanctam & diuinam credere par est, quam propter opinionem sanctitatis & diuinitatis cuiusdam, quæ visa est in antiquissimis Regibus, maiores nostri ad constituendum statum Reip. comprobarunt. Vultis igitur exemplis priscorum populorum apud nos vtamur? vultis ex antiquis historijs Regiæ dignitatis augustos & sacrosanctos ortus repetamus? Cum apud Medos olim furta & latrocinia impune committerentur, nec vllus fere esset relictus iustitiæ locus, placuit illis Deiocem hominem sanctissimum atque integerrimum, cuius virtus omnibus probata & spectata satis esset, Regem facere, qui cum prohiberet iniuria tenuiores, æquitate constituenda, summos cum infimis pari iure retinebat.

Eadem occasione scribit Aristoteles bene moratos Reges delectos fuisse, vt eorum præsidio populus vniuersus contra sceleratos & improbos homines, qui quotidie cæde & latrocinijs humanam societatem violabant, defenderetur. Cogitemus de his qui leges condiderint, qui populum ab agresti vita ad humanum & ciuilem cultum deduxerint, qui nuptias, qui sacra & cæremonias instituerint, qui res omnes honestas & vtiles, & Reipublicæ salutares

inuenerint. Cogitemus, inquam, de his, qui fundamenta Republic. præclare iecerint, quales viros in terris fuisse, vel potius quales deos inter homines vixisse & regnasse putamus? Samothes enim Rex antiquissimus Gallos non solum humanis, sed etiam diuinis legibus informauit. Minos viuus apud Cretenses tanta fuit æquitate & iustitia, & à poëtis mortuus etiam iudicium exercere dicatur. Nec vero Prometheus ignem de cœlo clepsisse ab ijsdem poëtis traderetur, nisi diuina & cœlestis eius virtus, quam velut cœlestem flammam populus inspirauit, nomen illius ad errorem fabulæ traduxisset. Quid commemorem Numam Pompilium, ob eam solam causam, quod optimus & integerrimus haberetur, absentem à Romanis designatum fuisse Regem, & multis precibus, cum tantam prouinciam respueret, accersitum ad diadema & imperium pop. Romani? At cur ille tantam authoritatem respuebat? sane quod magnum & arduum, & difficile esset, primis illis temporibus regnare: vigilandum erat: laborandum erat: dies & noctes molestiæ & solicitudines graues erant perferendæ ac sustinendæ: Ideoque quærebatur vir fortis & magnanimus, & industrius, qui tanquam pastor gregem sibi commissum, sic populum suæ fidei & sapientiæ creditum assiduitate, vigilantia, æquitate, iustitia, omni recta ratione bene & fideliter administraret: neque tantum præcepto, sed multo magis exemplo suo imperitos homines ad religionem, iustitiam, temperantiam, humanitatem denique omnem adduceret: Sic Ægyptiorum reges sapientissimos & spectatissimos fuisse legimus, in quorum statuis hoc inscribebatur, εἰς ἐμέ τις ὁρῶν εὐσεβὴς ἔστω: *In me aliquis aspiciens, pius esto*: Regem namque exemplar esse virtutum omnium decet, quem

quem sui ciues tanquam Deum in terris intueantur: cuius vita & moribus vitam suam & mores instituant: cui non secus atque Regi cœlesti pareant & obsequantur: nec inscite poëta de principis boni autoritate scribit.

Tum pietate grauem & meritis, si forte virū quem
Conspexere, silent, arrectisq; auribus astant:
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Sed quid tam multis exemplis orationem protraho? sunt alia multa, Auditores, de Regiæ dignitatis origine: quæ si persequi vellem, tempus me potius, quam oratio deficeret. Hoc vero singulare, & ad id, quod probare volumus, maximum argumentum est, quod reges & regna à Deo Opt. Max. hominibus dantur, nec quisquam est, aut vnquam fuit in eo dignitatis & excellentiæ gradu constitutus, qui non Regiam autoritatem semper acceptam DEO retulerit. Quæ cum ita sint, cui quæso dubium esse potest, quin Deus, qui sapientissimus, iustissimus, optimus est, sapientissimos, & iustissimos, & optimos quosque homines populo regendo præesse voluerit? Ergo quidem perspicuum est non solum humanis, sed etiam diuinis suffragiis, eos homines olim ad imperandum deligi solitos, quorum de iustitia & probitate magna esset opinio multitudinis: adiuncto vero hoc, vt iidem prudentes etiam haberentur, nil erat, quod homines his autoribus non posse consequi se arbitrarentur.

Nec abs re profecto principes, qui sapientia & consilio valeant, adhibentur. Etenim qualis est affectus & appetitus in corpore, talis populus in republica: & quemadmodum Deus Opt. Max. in homine mentem & rationem, quæ vagos insolentes appetitus, sic in Republic. Regem, qui stultum & indomitum

populum regeret, & in officio contineret iustitiæ, temperantiæ, reliquarumque virtutum collocauit. At multi improbi & scelerati, priscis temporibus regnauerunt. Quid, tu Reges à tyrannis non distinguis? Tu quidem tyrannidem exercuisse dicito, regnasse ne dicito: quandoquidem Reges eos duntaxat fuisse constat, qui non ambitione, non potentia, non vllo scelere, sed modestia, virtute, fama & laude Regiós fasces adepti sint, & administrarint, seque totos ad bene merendum de hominibus contulerint. Quamobrem cum Regalis authoritas à DEO, à virtute, à commendatione probitatis, iustitiæ, fortitudinis, temperantiæ profecta sit, eiusque consilio leges in Republic. constitutæ, & res omnes quæ ad publicam vtilitatem spectarent, inuentæ, & hominibus traditæ fuerint, primique Reges laude & fama in cœlum sublati sint, & propter excellentia & diuina in Rempub. merita, in deorum cætu & concilio versari putentur, hanc tantam, tamque eximiam maiestatem ab augustis & sanctis auspiciis ortam tanti æstimare nos decet, vt nil in rebus humanis maiore admiratione & veneratione dignius existimare debeamus.

Sed quoniam Reipub. & Imperij mentio sæpius hic facta: ad Locum Communem de Repub. & Imperio, tum in genere, tum in specie, adscendere lubet.

LOCVS COMMVNIS DE REpublica & Imperio, tum in genere, tum in specie de Imperio Romano: Ex optimis quibusq. ea de re scriptoribus collectus.

HIc totum locum cōmunē de Rep. ex philosophia sc. omnino generaliter placet repetere, &

ex iure nostro simile quid addere, at tandem ex historia de imperio Romano tanquā speciem generi subiicere. Ita enim, quemadmodū autoritate imperii ius ex principiis suis constituatur, item conseruetur, aut mutetur, aut renouetur, planius fiet. Quod caput quoddam praecipuum iuris est.

Cuiusmodi Tractatus etiam Iurisconsultorū veterum, vt Pomponii de Origine Iuris, & aliorum de officiis magistratuum; deinde recentiorum, vt Bartoli de Regimine Ciuitatis, Michaelis Velcurii de Regimine mundi, Martini Laudensis de Principibus, Antonij Roselli de Potestate Imperatoris & Papae, Antonii Bossii de Principe, & eius priuilegiis. Quorū nonnulli in eo sunt opere, quod Oceanus Iuris vel Tractatus tractatuum inscribitur. Etiam exstant Iohannis Ferrarii Montani de Politia libri. Qui omnes interim philosophos sequūtur: Sicut & Callistratum *l. 2. de Nundinis*, Platonem videmus laudasse.

DE REPVBLICA EX PHILOsophia Platonis, Aristotelis & Ciceronis.

RESpublica est ad populi salutem iuste facta ordinatio. Iuste, inquam. Iustitia enim ea est, quae duce & tanquam consiliaria prudentia, id est, recta ratione, quod bonum & salutare fuerit, constituit. Ita illa nimirum virtutum omnium princeps virtus est. Plato quoq; ex virtutum generibus Rempubl. describit in libro, de Repub. & legibus. Sic Callistratus ex Platone ostendit, Rempub. esse institutionem, quemadmodum ciuitas bene beateque habitari, & populus bene, id est, foeliciter viuere, possit. Considerand a vero ex definitione ista Reipubl. populi salus, & ordinatio illa. Quanquam enim totius

humani generis. Imo (vt Plato de Repub. ait, & Cicero de Natura Deorum repetit) Deorum seu coelitum, & hominum, vna quasi Resp. quædam est, tamen ea hic ad certi populi salutem spectare intelligitur.

Populus ita est certa quædam hominum seu ciuium multitudo: siue vna vrbe, seu tota regione contineatur. Nam quemadmodum populus ratione ordinationis definiatur, postea videbimus.

Homines, qui & personæ & capita dicuntur in iure nostro, natura, fortuna, & aliis modis, differunt. Neq; enim iustitia, vel Deus potius, omnes pari conditione esse voluit. In populo sæpe etiam minor cœtus aliquis est, vt collegium, tribus. Salus, fœlicitas, & beatitudo est, tum singulorum, tum omnium qui in populo sunt; Vnde illud, salus populi suprema lex esto. Hinc Respublic. à Cicerone in reliquiis libri tertii, de Republic. definitur res populi, & alibi communis vtilitas populi dicitur. Atque ille sane finis Reipublicæ summus est. Quomodo & finis bonorum, & summum bonum dicitur à Cicerone, *in libro de finibus*. Salus igitur illa omni bonorum genere (præsertim eorum quæ ad hanc vitam pertinent) constare, &, quantum fieri potest, cumulata esse debet.

Bona sunt videlicet ea, quæ beant, id est, beatos & felices reddunt. Quod etiam Vlpianus titul. de verborum significationib. l. Bonorum, innuit.

Hæc autem (bona) interna & externa sunt. Ista videlicet sunt animi, & corporis. Animi: vt virtutes, & artes, & istis similes affectiones. Virtutes, inquam, prudentia & iustitia. Ista (prudentia) recta ratione moderatur omnia. Hæc autem istam, vt ducem & consiliariam sequitur, sicut iam attigi. Et quod iustum rectumque fuerit, tum erga alia omnia, tum imprimis erga Deum, (vbi religio est) deinde & erga homines, præstat.

Quæ

Quæ ſcilicet iuſtitia, omnes, præſertim in actione magis poſitas, virtutes amplectitur. Erga Deum (qui eſt bonum ipſum veriſſimum, &, vt Plato ait *6. de Repub.* Idæa boni) religio eſt, in eius videlicet agnitione, & cultu, poſita: quę meris oraculis & externis quibuſdam myſteriis proditur, vt Cicero *ex Platone de legib. 1. & 2.* tradit. Quæ nimirum generalis quædam philoſophia religionis eſt. Erga homines reliquos eſt iuſtitia: quæ ita ad fortitudinem etiam & temperantiam, id eſt, omnium perturbationum animi moderationem quandam, ſpectat.

Virtutum ſimiles affectiones ſunt, quæ nimirum rationem ducem ſequuntur: vt στοργαί.

Artes & literę ſunt philoſophia ipſa, & hiſtoria Iſta tum Logica, & Matheſis eſt, tum phyſica, & ethica: Itemq; huic ſubiecta politica & œconomica.

Hęc (hiſtoria) de rebus omnib. commemorat: quo ita ēt propria quædā iuriſprudentię & Theologię cōueniens hiſtoria pertinet. Hiſtoriæ ſimilis, eſt poeſis.

In quibus artibus & literis aliæ animo magis præſtantur, aliæ corpore: iſtæ liberaliores, hæ minus liberales habentur, vt diſtinguit Ariſtoteles *8. Politicor.* Corporis bona in eius firma & ſana affectione ſpectātur. Externa deinde bona ſunt, quęcunq; extrinſecus vitā attingunt: ſiue corporalia illa ſint, ſeu incorporalia, ſeu mobilia, ſeu immobilia, ſiue naturalia, ſeu arte & ſtudio parta. Cuiuſmodi etiam fortunę & vitæ bona dicuntur: in quibus maxime ſpectatur poſſeſſio, dominium, & obligatio.

Quæ ita demū bona omnia, diuina aut humana, publica aut priuata fuerint. Quomodo etiam paſſim in iure Romano diſtinguitur.

Quæ ita porro vel natura ipſa, vel opinione & hominū iudicio honeſta vel vtilia fuerint. Quam diſtinctionem etiam Vlp. *in d. l. bonorum. & in l. 1. de verborum ſignificationibus,* attingit.

Ex bonis vero iſtis, ea quæ animum attingũt, præſtant cæteris: proxima ſunt ea quæ in corpore ſpectantur: quibus æquiparantur fama, honor, & exiſtimatio: ſed extremum locum tenent ea quæ fortuita ſunt: quæ cum cæteris collata, vix bona videntur, vt Plato paſſim in libris de Republ. & legibus oſtendit.

Ordinatio deinde iuſte facta (de qua ſupra in definitione Reipubl.) pertinet ad comparandum & conſeruandum illa, quibus nimirum & populus, & ſalus populi, conſtat.

Populus igitur cõparatur tum communi naturæ, tum proprio aliquo modo. Iſto; vt matrimonio. Hoc autem, vt adſcriptione, dicatione. Vbi interim præterea comparantur homines ad varia miniſteria. Conſeruatur deinde populus omni illo bonorum genere, de quo dixi. Bona iſta comparantur, tum naturæ beneficio, tum ſtudio & labore. Atque iis ipſis modis conſeruantur.

Sic interim animi bona meditationem & exercitationem deſiderant. Quo ſcholæ & Gymnaſia ſpectant. Quomodo apud Platonem tota Reſpubl. per omnes hominum ætates ad ſtudium tale informata eſt.

Externa bona; Agricultura, Mercatura, & alia, ſimilem operam & induſtriam requirunt. Atque in his ſæpe accidit, iudiciis & bellis, opus eſſe: itemque accidit præmia & pœnas decerni oportere.

Ordinatio autem illa fit tum Imperio tum Iure. Et hæc ordinatio poſtquam ita in populo aliquo recte facta eſt, tum, inquam, proprie ciuitas & Reſpubl. fuerit: & populus dum demum ille, qui à Cicerone 3. *de Republ.* definitur, cœtus multitudinis conſenſu iuris & communione vtilitatis ſociatus.

Atque hinc qui ſic coniuncti ſunt, ciues & tanquam ſocii fuerint. Qui boni viri, id eſt, virtute imprimis præditi eſſe, debent, vt Plato *de Republ.* tradit, & li-

& libros illos de iusto vel optimo ciue inscribit. Qui si communem salutem spectent, concordia fuerit. Imperium igitur auctoritas & potestas ordinandi ac statuendi est, & ita simul administrandi. Cuiusmodi magistratus aliquando dicitur, & viua ac loquens iustitia est, & tanquam cœlestis vis quædam, vt Cicero *lib. 3. de leg. & de offic. 1. in cap.* de fortitudine ex Platone tradit.

Quod imperium vel solum, vel coniunctum est; solum, vnius, aut plurium est: Vnius, quod regnum aut regale imperium est, græce μοναρχία. Plurium, quæ Polyarchia, quippe totius populi, aut partis. Illud scilicet Populare dicitur, græce δημοκρατία. Hoc autem vel optimatum est & nobilium, græce ἀριστοκράτεια, vel aliorum; quod Oligarchia dici potest.

Coniunctum scilicet discordi quadam concordia & tanquam harmonia, vel in plerisque, vel in omnibus illis inter se mistis, cernitur.

In simplice genere præstare cæteris putatur regnū. Huic quo propius deinceps aliud accesserit, tanto videtur perfectius, tantoque magis præstiterit. Quanquam Cicero *2. de Rep.* illud ex omnibus quasi confusum præstantissimum iudicat.

Quodnā genus imperii cui populo maxime congruat, ex hominum moribus & ingeniis comprimis iudicandum putat Plato *de Rep. lib. 8.* Multum enim interest, quid cuiusq; populi natura ferat. Quanquam idem ille, & præterea etiam Aristoteles *in Polit.* non nimis magnū populum putant suo imperio rectius vti posse. Ita enim laudarunt Democratiam.

Quod deinceps imperium omne vel proprium quodammodo, vel aliis mandatum: illud ab iis, qui suo quasi nomine præsunt, geritur. Hoc ab istis ipsis deinceps aliis committitur. Quod variis interim officiis & magistratibus distinguitur.

Atque

Atq; hic ita demum accidit imperium summum vel infimum, & quóddam intermedium esse: & vnumquodque præterea genus proportione quadam maius aut minus gradatim discerni. Quo modo in iure Romano non dissimiliter merum imperium, & sola iurisdictio, & tertium quoddàm mixtum, distinguitur.

. Quanquam quodcunque demum imperii genus fuerit, nō sine cœlesti numine constitutum, conuersum aut translatum intelligitur: sicut *lib.8.de Repub.* Plato monet.

Ius deinde est, quod non sine iustitia, sic autoritate imperii ordinatum & sancitum. Ita enim ius est hoc quod iustum, quod æquum bonum, quod par & rectum, vbi nec nimium nec parum, plus aut minus. Quod Cicero *2.de legib.* imperium vocat, sine quo nihil omnino, nedum ciuitas, stare possit. Quod idem *3.de Republic.* ex iustitia tanquam fonte manare ait,

Atq; hoc quidem ius ita demum vel naturā simpliciter, vel rationem probabilem sequitur. Plato in Minoe, Aristoteles *Ethicor.5.* Illud æternum est & omnium animis ingenitum. Quod solum verissimum ius esse Cic. ex Platone lib.1.de legib. copiose demonstrat: quod Plato in Minoe inuētionem veritatis definit: quod Cic. ibidem summam rationem in natura insitam esse ait: quæ iubeat ea, quæ facienda, prohibeatque contraria: quod ita prudentiam & rectam rationem etiam vocat.

Hoc alterū locis & temporibus mutabile est. Quod Plato in politico vocat imitationem veritatis. Cic.1. de legib. simulacrum quoddam iuris, quod quamuis vnius populi proprium est, tamē accidit vspiam cum aliis etiam commune esse.

Quod ius deinceps vel sancitum imperio est, vel adhuc sanciendum: illud scriptum, vel moribus receptum. Hoc in prudentia & recta ratione quadàm adhuc videlicet positum. Et

Et quidem ius ſcriptum quam generaliſſimis, pauciſſimis, & breuiſſimis legibus comprehenſum erit. Quomodo 12. tabulas deſcriptas fuiſſe oſtendit Cic. lib. 2. de legib. Vbi nihil ita obſoletum, contrarium, aut ſuperuacaneum erit: quod curare voluit Plato eos qui Nomophylaces dicũtur, & monet ex Solone Demoſthenes contra Timocratem. Quod, ſi fiat, non conſtituentur lites, ſed dirimentur: &, vt Iuſtinianus in procœmio Inſtitution. ait, calumniantium iniquitates repellentur.

Atque hæc generaliter de Republic. Cum quibus paſſim in iure noſtro plurimæ ſententiæ congruunt, vt in titulis, De Principiis Iuris, De Imperio & poteſtate, De Iuriſdictione, &c.

Τέλος.

QVOMODO COMPARENTUR virtutes: & quomodo ciues Reipublicæ, virtute præditi, hoc eſt, boni ac legibus morigeri, efficiantur, comparentur.

ID eleganter Ariſtoteles, cap. vltim. lib. 10. Ethicor. Nicom. exponit. Verba, item præcepta & theoremata ſola, non ſufficiunt ad virum bonum efficiendum: nam cuius ſcientiæ finis non eſt cognitio, in ea nec ſola præcepta, aut verba, ad effectum & ipſam ſcientiam conſequendam ſufficiunt. Atqui doctrinæ moralis finis eſt actio, non autem cognitio; agere, non autem ſcire. Ergo ſola præcepta & verba ad effectum & ipſam ſcientiam conſequendam non ſufficiunt, 2. ſi verba & præcepta per ſe ſola ſufficerent ad acquirendam virtutem, hoc eſt, ad viros bonos efficiendos; tum omnes eos, qui illa ad-

diſcunt,

discunt, efficerent bonos, ac proinde ingenti mercede digna essent, vt Theognis de medicis dixit, qui scilicet vt morbis corporis, ita & vitiis hominum; quæ morbi sunt animi; mederi possent. Sed verba & præcepta sola non omnes ea intelligentes bonos efficiunt. Ergo verba & præcepta sola non sufficiunt ad virum bonum efficiendum. Assumptionem declarat philosophus distributione auditorum huius de virtutibus doctrinæ, & quã apud eos vim habeant præcepta, & admonitiones verbales, ostendit. Auditores enim, vel sunt liberali & ingeniosa indole præditi, vel sunt ignaui, seruiles, ac socordes: quorum illi pudore, hi vero timore mouentur. illi (nempe perpauci) præceptis quidem ac monitis ad virtutem concitantur, & inflammantur, sed vsu tamen insuper & exercitatione ad plenam virtutis possessionem opus habent. Hi vero (id est multi, imo pleriq;) ne mouentur quidem præceptis aut pudore ad virtutem, nedum inflammantur, sed metu ac pœnis & flagellis coercentur; quia sunt malitioso corde, ac distorto ingenio seu complexione. 2. quia malis moribus longo tempore assueuerunt, ideoque verbis ac verborum monitis difficulter corrigi possunt. 3. quia non rectæ rationis imperium, sed affectus suos sequuntur, ac voluptates non animi, sed corporis, quærunt: adeoq; toti ex affectibus viuunt, & non nisi ea persequuntur quæ voluptates gignunt: labores autem & res arduas fugiunt. Denique eius quod honestum ac vere iucundum & pulchrum est, nullam prorsus notionem habent: quandoquidem nullã partem eius gustarunt.

Postremo ad virum bonum ac ciuem legibus morigerum, efficiendum, vix omnes causæ ad id requisitæ, penitus sufficiunt. Ergo multo minus sola verba seu verbales admonitiones, ac præcepta. Causam autem virtutis efficientem alii naturam statuunt, alii doctrinam, alii consuetudinem & exercitationem

crebram;

crebram: rectius tamen naturam, doctrinam, consuetudinem & exercitationem, simul & coniunctim. Natura vero non habitum virtutis, sed habilitatem, id est, aptitudinem ad acquirendum habitum, confert. quæ habilitas nō per nos acquiritur, sed diuinitus ex diuina quadam causa, vt ait Philosophus, obtingit, conceditur & ingeneratur. Εὐφυΐα ergo illa naturalis non sufficit, quia non facit bonum, sed aptū & propensum ad bonitatem. Neque doctrina sufficit sola. Vt enim ager non producit bonos fructus, nisi & natura ipsa fertilis sit, fundusque fœcundus, & insuper et cultura quoque hominis, agrum, priusquam semen ei iniiciat, subigentis, arantis, occantis, stercorantis, accedat. Sic eum qui vir bonus euadere debet, quandam naturæ ad virtutem habilitatem habere oportet, deinde animus eius recta statim à teneris educatione ad virtutes & mores honestos leniter afficiendus est, ac paulatim [illegible] & [illegible] tum admonitionibus ac præceptis, tum obiurgationibus quandoq; & castigationibus informandus, & ita subigendus ac præparandus, vt honestis rebus satis mature gaudeat, turpibus vero offendatur; item vt prauis affectibus ac libidinibus resistat: alias enim [illegible] nec audiet ea quę dicuntur, nec audita satis intelliget aut perficiet.

Hæc igitur assuefactio, educatio, & exercitatio, omnium maxime requiritur ad virum bonum efficiendum: sine natura tamen & doctrina vix cuiquam perfecte obtingere potest.

Cum autem educatio ac disciplina liberalis, ea quę à teneris inchoata, & sedulo continuata, nempe tum priuata, tum publica, tum œconomica, tum politica, præcipuam ad virtutē & viros bonos efficiendos laudem obtineat: quæritur, quomodo ea instituenda sit? respōdet philosophus: a natura pleriq; omnes ad libidinem & vagā licentiam rapimur; ideoq; non modo

disciplina opus est, sed etiã certis ac seueris LEGIBVS disciplinæ. Ratio prima: ad ea quæ molesta & ingrata sunt, homines vi & auctoritate cogendi sunt, Sed assuefieri ad virtutes & actiones honestas, molestum & ingratu est hominibus, tũ adultis, tũ præsertim iuuenib. Ergo vt ad eas assuefiãt homines, vi & auctoritate publica opus est. Hanc vero autoritatẽ leges præstat & conseruant, quæ etiã inuitos ac reluctantes ad officiũ cogũt. Ergo leges summopere necessariæ sunt ad honesta educationẽ & disciplinã adultis quidẽ, vt in virtute magis magisq; exerceantur & confirmentur: Iunioribus vero, ut ad virtutẽ (a qua alieniores sunt, cũ vagã vitã & lasciuiandi licentiã vulgi more sectentur) præparentur. Vulgus.n. & maior hominũ pars necessitati, seu coactioni potius ac violentiæ, q̃ rationi & orationi, cõsiliisq; ac pceptis obtẽperat, ac formidine pœnæ magis quã virtutis amore in officio retinetur.

Secũda ratio ab autoritate Plat. *ex lib. 12.* de legibus: vbi legumlatorũ officium esse ait, in legib. ferendis omnium hominũ, cuiuscũq; sortis & ętatis sint, rõem habere: quo ipso ostendere voluit, ad virtutis studium in Rep. alendũ & exercendũ non sufficere assuefactionem, sed auctoritatẽ legum quoq; neceßariam esse.

Tertia ratio ab effectu vel officio legum: leges.n. ostendunt rectã viuendi rõem, & iustum in actionib. ordinẽ, quia leges à prudentia & mente, seu rõe recta proficiscuntur. Itaq; ad educationẽ & disciplinã veram omnino necessariæ sunt. In nõnullis aũt Politiis leges sunt, quib. tum adulti in officio continentur, tũ pueri quoq; à teneris ad virtutẽ exercentur. Vbi vero tales leges nõ sunt, ibi prudẽtis parentis officium est, vt ipse domesticis suis leges ferat. Nam q̃ in Politia sunt leges, id in Oeconomia sunt iussiones & admonitiones parentis. Perfectior aũt ea politia est, in qua de recta educatione & institutione puerorum ac iuuentutis etiam leges salutares publice feruntur. Vt autem ius, ita

& lex

& lex proprie politiæ est, improprie Oeconomiæ: lex enim magis ac validius imperat & cogit ad res honestas, & flagitia seuerius punit.

Quarta ratio ab exemplo Lacedæmoniorum, quorū Respub. maxime floruit ac virtute excelluit, quia multas de iuuentutis ac puerorū educatione tam publica, tū priuata leges habebant: reliquæ vero ciuitates Græciæ quia legibus istis carebant, minus florebant.

Sunt recta iuuētutis educatio publica, gymnasia & scholæ publicæ morū ac studiorum, seu doctrinarum & disciplinarum, imprimis summopere magistratui curæ esse debent: qui, si negligentior sit: vnusquisque paterf. operam sedulam dabit, vt liberos, amicos, ministros, ac domesticos suos ad virtutem & morum probitatem, quantum fieri potest, assuefaciat.

De publica vero ista iuuentutis educatione legislatores Reip. leges publicas ferre omnino debent, easque accuratas ac sinceras. Nam legum ferendarum scientia, non tantum publice, sed & priuatim, non tantum in politica, sed in domestica quoque institutione necessaria est: quia sine legibus nulla inter homines societas, seu publica seu priuata, consistere potest.

Sed quis optimus erit legislator? is nimirū, qui cognitū habet τὸ καθόλου τῶν πρακτῶν, sed ita, vt hanc vniuersalē rerum agendarū cognitionē rebus & actionibus singularib. recte ac prudenter accommodare possit. Proinde legislator, non tantū scientiam vniuersalem, sed omnino experientiam quoque & vsum rerum agendarū habere debet. Sed nōne multi (dicet aliquis) cognitionē τοῦ καθόλου nō habent, & tamē experientia & vsu edocti perspiciunt, quid agendū sit, vt sunt medici empirici? Empirici enim verē scientiam nō habent, nec veri ac perfecti artifices sunt, quia vniuersalium, id est, causarū & principiorū verorum cognitionē non habent. Experientia tantū est τοῦ ὅτι, scientia vero requirit etiam τὸ διότι.

Legum autem ferendarum scientiam Aristoteles non a sophistis, nec a politicis indoctis, sed a philosophis politices, iuris ac legum, peritis petendā esse contendit: non à politicis: neque enim illi propterea, quod Remp. administrant, leges ferre possunt: quia plerique omnes vsu magis & experientia Remp. gubernant, quam scientiam ipsam gubernandi eam, legesque ferendi, ex veris causis ac principiis teneant. Non a sophistis: quia ipsimet scientiam ac difficultate legum ferendarum ignorant: & politicā cum Rhetorica cōfundunt, legesque ferre nil aliud esse putāt, quam ex varijs vndiquaque rebuspublicis leges conquirere & comportare, atque ex iis deinde meliores eligere. Atqui certe in tali delectu prudentia & rectum rationis iudicium, quo plerique carent, imprimis desideratur: & varias omnis generis circumstātias prudenter considerare ac diiudicare debet is, qui alijs leges præscribere cupit: non enim quæuis leges, aut quiuis mores, cuiuis populo ac Reip. conueniunt. Ad illam ergo collectionem legislator imprimis adiunget scientiam illam, qua leges recte accommodare norit circumstantiis populorum, personarum, locorum, temporum, &c. Hæc Aristoteles *cap. vlt. lib. 10. Ethicor.*

Hactenus generatim de Republ. & Imperio: nunc speciatim de Imperio Romano.

DE IMPERIO ROMANO, EX Liuio, Polybio, & aliis.

IMperium Romanum non vnius semper generis fuit. Sed sæpius mutata eius forma & conuersio.

Ad vrbe Roma condita, aliquandiu imperium fere regale fuit. Sed quia pp. Tarquinium, cognomento superbum, ultimi regis iniustum imperium ac tyrannidem, illud imperii genus inuisum populo Rom. factū erat: Idcirco iura & leges eius non curantur.

Deinde post Tarquinium superbum populare imperium

perium fuit, tantisper dum Iulius Cæsar non quidem Regis nomine, sed perpetuæ dictaturæ specie, solus i[illegible] temperare cœpit.

Postea a Iulio vel Augusto Cæsare, ad Constantinum Magnum vsque, Imperium quasi Regale fuit potius, quam merum Regale, quia permagna in eo [illegible] Consulum ac Senatus potestas.

Deinde de Constantinus Magnus Imperij sedem paulatim in Thraciam & Græciam, ubi [illegible] Byzantium (q Vrbem inde a suo nomine Constantinopolin, i. e. Nouam Romam, appellabant) transtulit, cum indictiones [illegible] numerari cœpissent. Huiusque Imperium quasi Regale fuit cum nomen & Consules adhuc essent, & Senatus aliqua auctoritate retineret. Igitur & hoc mixti quoddam Imperij genus videri potest: hoc n. tempore Senatusconsulta & alia iura, vt superioribus temporibus, sanciebantur; [illegible] orationes & decreta accesserant. tandem autem perpetuum quoque edictum compositum fuit. Et quia hoc interim Christiana religio inualuit, Imperium Christianum Romanum esse cœpit. Vnde Principum edicta de Christianis rebus ac negotijs. Postea ad vltimum vsque Consulem Basilium post Iustiniani vsque mortem, cum anni a nato Christo numerari cœpissent, simile quidem adhuc Cæsareum & admixtum quasi populare Imperium fuit, sed nulla tamen tunc Senatusconsulta, aut alia eiusmodi iura, vt antea, condebantur; sed edicta & decreta Cæsarum, imo præscripta et, quæ constitutiones & sanctiones decernunt, omnem autoritatem obtinebant. Hic ergo Imperium vere Regale esse cœpit.

Deinceps ab anno Christi [illegible] ad annum 800. cum [illegible] Italiam, Africam, Hispaniam, & alias [illegible] perderet Gothi, Vandali, Longobardi & alij [illegible] populi, & Franci Romanos ex Gallia & Germania eijcerent, Constantinopoli regale illud imperium mansit, sed mux diuisum, hoc q

in occidente esset, ad Francos, i.e. Germanos, venit, & Carolo Magno traditum fuit quod ita nimirum regale et esse perseuerauit, & ChristianoRomanū Europæum vel occidentale esse cœpit. Quanquam Pontifex Romanus interim non tantum de rebus Christianis sed Politicis etiam pedetentim, in tanta nimirum Romani Imperij disturbatione, sancire & statuere, & se in partem Imperij insinuare ausus fuerit, Hinc illi Canones & illæ Decretales Epistolæ.

Deinde ab anno Christi 800. ad annū 1000. fere inter successores Caroli Magni simile Imperium Regale ꝑmansit, & regiones aliæ aliis magistratib & præfectis cōmissæ fuerunt, qui, quod ex principis vel Imperatoris aula eligerentur, Comites, &c, vt videtur, Germanice à comprehendendi potestate Graffiones vel Grauij dicti, quales multiplices et hodie audiuntur: ad quos paulatim Duces accesserunt. Quo tempore Feudorum, & alia tum nondum scripta iura Germanica imprimis valuerunt. Quanq̃ autem hoc Imperium magis cōmune quoddā fuit. tamen ita sensim diuidi cœpit, vt quasi plures Imperatores & Principes diuersis regionibus præessent, sicut hodie q; videmus.

Deinde ab anno Christi Millesimo, ad hanc vsque ætatē, quanq̃ cōmune illud Imperium mansit quadam Iuris Communione, & Pontificale admisceri cœpit: quod, inquam, quasi Christiano Romanum, Europæum vel Occidentale, videri potest, sicut in Iuramento Electorum etiam significatur tamen Germanico Romanum magis magisq; separatum fuit.

Quod sane, si [illegible] aliud, ex omni Imperij genere mirabili harmonia cōiunctū & mixtum est. tū vnus si a [illegible] Imperator, deinde Senatus Electorū Principum, & alius aliorū principum & Statuū Senatus ac ordo & oēs, summi scil. medij, infimi, videatur vsque Imperij aliquid participare. Sic n. post Imperatorem, tū ecclesiastici tum Politici aliquatenus imperant, vt Ar-

chiepisco-

chiepiscopi, Episcopi, Abbates, Principes, Comites, Barones, Nobiles, item Ciuitates, item [illegible] nonnulli. Quorum [illegible], quatenus Imperij participes sunt, omnimodam habent Iurisdictionem, ac potestatẽ & sic merũ & mixtum Imperium, q̃ dicitur, in Capitalibus, & alijs supplicijs & negocijs, pcipiendo, vetando, Iudicando, puniendo, &c. Quanq́ Imperator praeterea vniuersalem : Principes, & qui illis pares sunt, Regalẽ (vnde & Regalia dicuntur) potestatẽ habent.

Atq; hinc, cũ summa tamẽ auctoritas esset Germanico Romani Imperatoris ac Principis, & Lotharius Saxo, Imperator, Ius Iustinianaeũ sanciuisset per totã Europam hoc receptum & approbatum fuit, vbi alia deinde atque alia iura accesserunt, vt Ordinationes Camerae, Recessus Imperij, & similia. Atq; huc deinde ptinent superius allegati Tractatus, & alij similes, vt in dicto opere Tractatuũ ille q viridariũ Secularis & Ecclesiasticae potestatis insc[illegible] Arbor seu Partitio Iurisdictionum Guilhelmi Realis, item de potestate secularium super Ecclesiasticos, & vicissim Stephani A[illegible], item de mutatione status Ecclesiarũ Petri de Perusio &c. Hactenus de Rep. generalius, & speciatim ac nominatim de Imperio Romano.

CORONIS AD GENERALEM DE REPUB. ideam pertinens.

Ordinatio seu τάξις Politiae, siue Reipub, tũ imperio constat, tũ iure. Quod ad ius attinet: imprimis attẽdendum, quis imperet, ac pinde ius dicat seu constituat, nẽpe an s[illegible] us Deus, an vero natura, Dei ministra, vel vna cum his, ex Dei ordinatione, autoritas hominũ publica & solennis, vel deniq; cõsuetudo. Nã q iura legesq; condit, is tãtq̃ causa & fundamentum iuris allegatur. Si Deus, vt olim in Politia Iudaeica (seu in foro legũ Mosaicarum) cã nulla allegatur alia, quã q ipse (Deus) dixit. Si natura ius dicit, naturã

qui-

quoq; causa est: si publ. auctoritas, vel consuetudo, tunc ideo ius est, quia potestas publica ita constituit, vel mos populi diuturnus comprobauit. Priores illae duae causae tales sunt, ut oës vltro illis assentiamur: si d... er posteriores, tum demũ, si ea neutri é superiorib. duabus repugnent, priorem ob conscientiam, & ordinationem Dei, magistratum constituentis, posteriorem vero, si nempe rationabiliter parta sit, ob cõcordiam ciuilem, approbamus, indulgente seu conniuente summo Principe.

Causae sfagra... u certitudinis ac dignitatis differũt: supremum Deus, insequentem natura, tertiam publica auctoritas & imperiosa potestas, postremum sibi consuetudo vendicat. Hac de Iure. quod sine Imperio esse aut valere vix ac ne vix quidem potest. Ita summus imperator, Deus, & natura, praecipua eius ministra, ius diuinum ac naturale praescribunt ac constituunt: homines, nempe Principes, ius humanum: populus, indulgente principe, ius consuetudinarium. Ius igitur est quod imprimis non sine prudentia rationis rectae, ac iustitiae, deinde nõ sine imperio aliquo, vel auctoritate imperij, ordinatum est: seu expresse sancitum sit, seu tacite approbatum. Quodnam vero Imperij genus cuinam populo maxime congruat, id ex hominum moribus ac ingenijs comprimis iudicandum putat Plato de Repub. lib. 8. Multum enim interest, quid cuiusque populi natura ferat, & quo quisq; loco natus sit ac viuat. Hinc manifestissime illorum error patet, qui populos omnes aut plerosq; semper ijsdem legibus regi volunt: hinc etiam facilis istius nodi solutio, an scilicet leges populi moribus, aut populus, legis imperio se accommodare aut subijcere debeat.

FINIS.

